NAZ.
le III
I I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
F
83
NAPOLI

XLVII
TF
47

Adì 25 di Abrile 1600 ho speso soldi 25

XLVII

FF

fiF

11. X

:. 6

d

APOLOGIA PETRI STEVARTII LEODII, THEOLOGIAE IN ACADEMIA INGOLSTADIANA PROFESSORIS, AD D. MAVRITIVM IBIDEM PAROCHI, CONSILIARII Ducalis Bauarici, & ad SS. Apoſtolos, Coloniæ, Præpoſiti.

Pro
SOCIETATE IESV.

Ad
PRINCIPES ET ORDINES SACRI ROMANI IMPERII,

Contra
COMMENTITIAM HISTORIAM ORDINIS IESVITICI, A POLYCARPO LEYSERO FRANCOFVRTI NVPER EDITAM.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

BIBL. MAX. COLL. NEAP. SOCIET. IESV EX
IHS

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Henricum Falckenburg.
ANNO cIↃ. IↃ. XCIIII.

POLYCARPO LEYSERO.

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua TVA : ſicut nouacula acuta feciſti dolum.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem : iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis, LINGVA DOLOSA.

Propterea DEVS deſtruet TE in finem, euellet TE, & emigrabit TE de tabernaculo TVO: & radicem TVAM de terra viuentium. *Pſal. 51.*

APOLOGIA
PRO SOCIETATE IESV,
CONTRA COMMENTITIAM HISTORIAM ORDINIS IESVITICI,
à Polycarpo Leyſero nuper editam.

PROFECTVRVS in Belgium, incidi, Vere proximè pręterito, Francofurti, in librum nuper editum, titulo Hiſtoriæ Ieſuitici ordinis; quam Elias Haſenmillerus, primùm Lutheranus, deinde Catholicus ac Tyro etiam Societatis IESV, cùm ſceleratus Apoſtata, nunc Orci incola ſcripſiſſe perhibetur; Polycarpus verò Leyſerus, homo iam olim à ſuis quoque, propter neſcio quam leuitatem & inſcitiam ludibrio habitus, euulgauit, ac ipſi Ieſuitarum Generali magno multorum plauſu dedicauit. Iam pridem enim arcana & quaſi adyta Societatis IESV, propter eius progreſſiones & res geſtas planè admirabiles, penetrandi & inſpiciendi, incredibilis quædam cupiditas omnium ferè ordinum homines inceſſerat; quam ſperabant huius hiſtorię lectione expleri poſſe, pręſertim, cùm adeo luculenta eſſet inſcriptio, quæ omnium minimarum, maximarumq; rerum narrationem veram ſolidamq; polliceretur. Sed fruſtrati ſunt ſpe ſua atque decepti, quicunque hanc hiſtoriam emerunt aut legerunt; non amici ſolùm Ieſuitarum; ſed etiam inimici, tam prudentes & probi, quàm inſipientes & improbi, neque mihi vlla vnquam curioſitas magis, quàm hæc publica, in res Societatis IESV tam ſolerter inquirendi, irriſa atq; punita videtur eſſe. Alij enim pecuniam emendo, alij tempus, multi etiam conſciētiam legendo perdiderunt. Alij famam leuitatis, alij audaciam calumniandi, ſecuritatem mentiendi, credendo acquiſi-

Ordinis Ieſuitici hiſtoria cupidè ab omnib. accepta.

In tit. Hiſt. Ieſ. ordinis.

Multos feſellit.

Hiſtoria Polycarpi mendatijs apertiſſimis referta.

uerunt. Talis eſt enim hæc hiſtoria, vt nullus vnquam, qui aut veritatem in hiſtoria polliceretur, aut etiã qui ſe mentiri profiteretur, ſæpius ac turpius mentius ſit, quàm huius hiſtoriæ auctores, quos grauiſſimis ſanctiſſimiſq; teſtimonijs conuincere poſſum, in tanto libro vix ſemel quidem verum dixiſſe. Taceo inanes & planè aniles diſputationes, conuicia innumera & abſurdiſſima, contumelias atrociſſimas in omnis generis homines, ipſoſq; ſacri Romani Imperij Principes ac Ordines, præſertim autem in Societatem I E S V, quam ita mendaciſſimi blaterones exagitant, tot ſarcaſmis irrident, tot maledictis onerant, tot confictis grauiſſimis ſceleribus criminantur, vt videatur nullus ſacrilegus, nullus parricida, nullus proditor vnquam extitiſſe, in quem plura acerbiora, & magis contumelioſa dicta aut ſcripta ſint.

Ineptiſſimis diſputationibus plena.

Hiſt. Ord. Ieſuitici, pag. 98. 100. 124 125 126. 142 & alijs plurimis locis.

Cauſa & occaſio ſcribendæ huius Apologiæ pro Societate IESV

Etſi verò certò ſcio, ſapientem ac virum bonum neminem fidem huic hiſtoriæ accommodaturum, laudatiſſimamque Societatem IEsv nihil ob has tantas calumnias detrimenti paſſuram, ſed fortiſſimo ac conſtantiſſimo animo, conſcientia fretam, tam inſignem iniuriam toleraturam; atq; adeò vix, aut certè modeſtiſſimè ſuis Calumniatoribus reſponſuram; tamen alia quàm plurima animo meo occurrerunt, quæ me non permouerunt ſolùm, ſed etiam impulerunt, vt Societatem hanc hominum honeſtiſſimorum ac religioſiſſimorum à grauiſſimis contumelijs, quibus hoc libro affecta eſt, vindicarem, eiuſque innocentiam ac integritatem vitæ, morumque, toti orbi teſtatam redderem: vt ſi quis fortè imprudentior aut erga huius ordinis homines iniquior, à tam audacibus Calumniatoribus, quàm ſunt iſti hiſtorici; perſuaſus, vera eſſe putaret, quæ in homines innocẽtiſſimos impudentiſſimè effutiuntur & confinguntur inaudita facinora; oratione noſtra permotus ſententiam mutet, & erga Societatem I E S V ita afficiatur, quemadmodum meretur ipſa pro ſua admirabili virtute, & maximis ac nobiliſſimis in totam Rempub. Chriſtianam meritis. Quanquam non ſum profectò tam

1. Merita & innocẽtia Societatis.

arrogans

arrogans aut temerarius ego, qui pollicear fore, vt magnitudinem rerum à Societate pro communi bono geſtarum, æquare poſſit oratio mea, ſed ſi illud ſolùm effecero, vt intelligatur, immeritò & improbiſſimè à nefandis hominibus Ieſuitarum famam lacerari, eoſq; amore & laude digniſſimos eſſe, omniumque quorum hîc inſimulantur criminum, puriſſimos; ſatisfactum putabo officio meo.

2. Vt à calumnijs defendantur Romani Imperij Ordines.

Nolim autem quiſquam exiſtimet, ſolius Societatis IESV, ſed vnà etiam cauſam hîc agi totius Reipub. Chriſtianæ Catholicæ, quæ naſcentem adhuc mirabiliter complexa fuit, eamq; vt firmamentum & præſidium ſuum ſingulare, à Domino diuinitus in tanta rerum omnium perturbatione & calamitate miſſum honorauit & ornauit. Itaque quantum ex hac hiſtoria infamiæ & calumniarum in Societatem IESV, tantum in orbem omnem Catholicum redundat. Et (quod vtinam diligentius perpenderetur) quantum laudi Societatis detrahitur, & criminum affingitur; tantum cedit in dedecus ac ſempiternam ignominiam Monarcharum mundi, Inuictiſſimorum Imperatorum, Potentiſſimorum Regum, Sereniſſimorum Principum, Illuſtriſſimorum Ordinum Orbis Chriſtiani & Romani. Si namque Ieſuitæ tam ſcelerati ſunt, quàm fingunt iſti; ſi filij Diaboli; ſi ſcelerum omnium auctores; ſi peculatores; ſi hoſtes; ſi proditores ſunt patriæ: neceſſe eſt eos, qui illos amant, fouent, & omnibus modis ad ſe pellicere conantur, Collegia eis ædificant & templa, eaque prouentibus locupletant, vel amare in Ieſuitis tanta flagitia, vel ignorare: Si amant, æquè ſcelerati ſunt atque ipſos Ieſuitas fingitis vos calumniatores: ſi ignorant, veſtro etiam iudicio ſunt ſtolidi & fatui: quippe, cùm nullus eorum hæc tanta crimina in ijs vnquam deprehenderit. Sed omnino, cùm non tantùm occulta, verùm publica eaque atrociſſima Ieſuitarum ſcelera confingitis, omnes Principes ac Reſpublicas ea diſſimilantes, eorũdem criminum, impudentiſſimi nebulones, reos facitis & coram Orbe toto pronunciatis. Vniusforte hominis aut Prædicantis, addo etiam

Hiſt. Ord. Ieſuitici. pag. 17. 19. 24. 128. 146. 316. & loc. ſupra citatis.

trium aut quatuor, vel ſcelerata conſilia diu ignorare, vel etiam ſine ſuſpicione ſimilis flagitij poſſet aliquis Princeps aut Reſpublica impunita tolerare: ſed magnam aliquam hominum multitudinem, cuius omnes actiones & conſilia ad eiuſmodi facinora ſolùm patranda deſtinentur, à tot Principibus in ſuas ditiones admitti, vt liberè, quæ velint, perpetrent; fieri non poteſt, niſi ab illorum ſcelerum amantibus. Id enim ſemper agit hiſtoria veſtra, vt perſuadeat hominibus, omnes Ieſuitas nihil aliud moliri, niſi quod ſpectet ad perniciem nō animorum tantùm, ſed etiam corporum; ad euertendos quietes Rerumpub. ſtatus & omnia bello permiſcenda: quæ poſteriùs examinabimus. Nunc illud tantùm contendo, quicquid agant, vtcunque explicent calumnias, quas in Ieſuitas iaciunt, hiſtorici mendaciſſimi, eas ipſos mundi Dominos attingere. Num autem hoc ferendum eſt, vt publicè proclametur, Inuictiſſimos Imperatores, Sereniſſimosq; Principes in ſuis ditionib. alere & beneficijs cumulare homines ſceleratiſſimos, ac publicæ pacis perturbatores, atque eos non paucos; ſed integros greges, quique non clàm & occultè id agant; ſed publicè etiam profiteantur, & ad id faciēdum Societatem inſtituerint: imò etiam qui promiſſis ac largitionibus vel minis quandoque ad fœdera rumpenda inſtigent & compellant pręcipuos Ordines Romani Imperij? Et hæc communia omnibus ferè. Quid, quod nominatim quoſdam Sereniſſimos Principes ac Ordines Imperij Romani perſtringit hæc hiſtoria, & eorum facinorum apertè arguit, quæ eos meritò, ſi vera eſſent, DEO ac hominibus inuiſos redderent? Sed hæc viderimus poſteà: ſaltem hoc cò dictum volo, vt intelligatur, in defendenda Societate IEſu, etiā à grauiſſimis calumnijs vindicari Monarchas & Principes Chriſtiani & Romani Orbis.

Sparſim in tota hiſtoria maximè verò vbi agitur de quarto voto obedientiæ & de priuilegijs Societatis.

Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 138.

3 Præterea, hanc ipſam Academiam noſtram Ingolſtadiēſem, longè lateq; celebratam, videor mihi defenſurus, ſi Societatis IESV innocentiam Orbi teſtatam reddam. Si namq; tales Ieſuitę eſſent, quales iſti Hiſtorici impudentiſſimè

Ne nomen ac honor Academiæ noſtræ Ingolſtadienſis periclitetur.

tiſſimè comminiſcuntur, eorum ſanè ſcelerum omnium particeps eſſet Academia noſtra; niſi fortaſſe hîc ſibi ſint ſolùm diſſimiles Ieſuitæ, & quod apud Principes audent, nō audeant in hac celebri Academia, in qua ſunt & ſtudiorum & conſiliorum omnium noſtrorum participes; vnaq; nobiſcum ita Academicam prouinciam adminiſtrant, vt magnæ non ſolùm vtilitati, ſed etiam ornamento nobis ſint; atque adeò illis iniuriam facturi quodammodò videremur, & quaſi ingrati animi vitium admiſſuri, niſi eorum ſapientiæ, virtuti ac integritati vitæ, luculentum teſtimonium præberemus. Quod vna nobiſcū præbent quotquot vnquam in hac Academia ab annis propè triginta bonis literis operam nauârunt; quorum ſanè eſt magnus numerus, non Germanorum ſolùm, ſed etiam exterorū, & ſplendidiſſimorum natalium, ampliſſimarumque dignitatum. Ita igitur à nobis audiendæ ſunt contumeliæ in Ieſuitas, ita quoque à nobis purgandæ, vt ſi in ſolam Academiam noſtram dictæ & iactæ eſſent. Nam ſi illi, vt ſæpè appellantur, iuuentutis ſunt corruptores, non ſolùm quoad doctrinam & fidem, ſed etiam quoad mores & vitam; ſi adoleſcentes non tantùm malè in literis & fide inſtituunt, ſed etiam ad ſcelera & flagitia hortantur & impellunt; id meritò Academiæ huic tam laudatæ aſſcribi poteſt, cuius pars magna ſunt Ieſuitæ, noſtri in docendo & gubernando Iuuētutem ſcholaſticam, collegæ. Quid? Nonnè omnes, qui ab hominibus huius ordinis inſtituti ſunt, timere meritò poſſunt, ne videantur corruptiſſimis moribus & homines ſcelerati, quandoquidem Ieſuitis Præceptoribus vſi ſunt, & vitia Præceptorum imbibunt plerumque diſcipuli? Ego ſi quid eſt in me, quod ſentio quam ſit exiguum vel ingenij, vel eruditionis, totum Ieſuitis acceptum lubens refero: an inde vel me corruptis eſſe moribus, aut ignoratione profunda earum rerū laborare conficiet cum Elia perditiſſimo Polycarpus, quæ vel ad religionis Chriſtianæ rationes, vel ad honeſtatis ſtudia ſpectare poſſunt? Multùm hîc iactaret ſe, niſi aliò properaret oratio.

Hiſt ord Ieſ. Pag. 47. 48. 49. 198. &c.

Ego

4. Notitia & amicitia, quæ mihi eſt cum Patribus Societatis IEſu.

Ego ipſe priuatas multas alias cauſas habeo, ob quas merito hunc laborem mihi ſumpſi, à tam impijs & importunis calumnijs Societatem IESV protegendi, eiuſque in orbem Chriſtianum beneficia detegendi, & ſi id conſequi poſſem eloquentia, publicè dilaudandi, quantumcunque hoc illi propter ſingularem modeſtiam refugerent. Magna enim mihi iam ſuprà viginti quinque annos interceſſit cum Patribus Societatis IESV conſuetudo. Ego quoque, ſi quiſquam alius, eorum inſtituta ac vitæ rationem penitus cognoſcere, & explorare (quemadmodū plurimi non minori doctrina & eruditione, quàm virtute præſtantes viri mihi teſtes, nō vno in loco eſſe poſſunt) potui, qui cum alijs eorum & Ingolſtadij, & in Orbis theatro Romæ & alibi priuatim & publicè familiariter vixi, planeque ita mihi perſuaſi & debere me, & poſſe Calumniatores Societatis IESV, turpiſsimorum mendaciorum conuincere, ac publico ſcripto teſtari, quod teſtantur prudentes ac pij Catholici omnes; Societatem IESV talem non eſſe, qualem deſcribit Hiſtoria Ordinis Ieſuitici; ſed excitatam potius ac inſtitutam à DEO in ſolatium & remedium ignorantiæ, impietatis, ac malorum grauiſſimorum, quibus iam tota Eccleſia diuexatur. Nō diſſimulabo, diu me cum animo meo diſceptaſſe; ſuſcipiendáne eſſet hæc prouincia. Nam & Societatem pro dignitate laudare difficile videbatur: tùm etiam omnia mendacia & maledicta hominum nefariorum confutare, aut ſtultum & indignum, aut nimis laborioſum & inutile apparebat. Ipſa enim Societas IESV præconio noſtro ac defenſione non egere, ſed ſatis tanto in ſe totius populi Catholici fauore tuta videbatur. Verùm tandem vicit ſententia, vt non tam quid vel Calumniatorum improbitas, vel Societatis innocentia poſtularet, quàm quid noſtra maximè intereſſet, conſideraretur; ne fortè à nobis vel officiū aliquod in Ieſuitas deſideraretur; vel etiam quædam calumniæ in Ieſuitas eo ipſo confirmarentur, quòd nemo eis reſponderet. Etſi enim talis hiſtoria hæc eſt, vt difficile ſit vel vnicam veritatem ex ea elicere, ta-

Propoſitum authoris.

re, tamen multi fortè erunt, qui tot & tanta, niſi vera, & aliquo fundamento nixa eſſent, de vno aliquo genere hominum confingere neminem potuiſſe putent.

Defendetur hac Apologia Societas Ieſu potius quàm accuſabitur Pſeudo hyſtoricus.

Mihi igitur faciundum exiſtimaui, vt vel primus contra hanc hiſtoriam agerem & oſtenderem verbis, quod reipſa profeſſus eſt Orbis Catholicus: Societatem IESV columen ac ornamentum inſigne eſſe Reipub. Catholicæ. Tanta verò inuidia ônerari ab Hæreticis, quòd videant hac Societate ſalua, omnes fraudes Hæreticorum pateſcere, eorumq; doctrinam ac ſectas omnes collabaſcere. Quoniam autem mihi ætatis quoque ac dignitatis meæ ratio eſt habenda, hoc clara voce pronuncio: Nunquam mihi vel Eliam Haſenmillerum, vel Polycarpum Leyſerũ dignum viſum eſſe, contra quem ego verbo aut ſcripto quicquam agerem. Homines enim tam leues, tam indoctos, tam mẽdaces, quàm ipſi ſunt, reſponſo non dignarer: nec cum ijs componi me tanquam in arena vnquam paſſus eſſem; ne ridiculi alioqui & ignobiles, gloriam ab hac qualicunque exiſtimatione mea adepti viderentur, neuè viris magnis ac ſapientibus, minus probarem hanc rationem tales homines confutandi. Sed non agam Confutatorem, verùm Defenſorem potius Societatis IESV. Imò ne hoc quidem. Non enim, tu Polycarpe, tantus es, vt contra tuas vires Defenſore egeat IESV Societas, ſed potius agam Hiſtoricum & Pronunciatorem Veritatis, quam tu Polycarpe mendaciſſime, tam nequiter prodidiſti & conſcidiſti. Narrabo igitur ſolùm mundo vniuerſo, quanta tua ſit improbitas, quâ veritatem, ac hominum optimorum innocentiam oppugnas; quàm innocens & laudabilis ſit Societas IESV: commemorabo & confutabo aliquot conuicia & mendacia tua, non propter te; ſed propter eos, à quibus etiam maiore incommodo, quàm ſit hic ſcribendi labor, omnem iniuriam propulſare ſum paratus.

Detegentur tamen fraudes & calumnia Polycar.

Quare ſic agetur, vt non tam in te, quàm de te, Polycarpe, multa dicantur. Sic enim ad te ſpectabunt, quæ dicturus ego ſum, vt ſi vel toti Germaniæ, vel Orbi Chriſtiano

p) Sed nō omnes quod eſt ferè propter multitudinē ἀδύνατον.

inſignis alicuius Proditoris, aut incendiarij cōſilia, calumnias, machinas, irrito conatu admotas, recenſerem. Talis enim Hiſtoricus es, vt cum quouis ſcelerato cōparari poſſis, niſi quòd pauci ſunt, qui tam infœliciter & infructuosè ſcelera aggrediantur, quàm aggreſſus ea eſt Polycarpus vel Elias. Nolim autē à me expectari, vt totius libri calumnias à Ieſuitis depellam, ſed ſumma quædam capita perſequemur, in quib. Impoſtor Hiſtoricus maximè triumphat & Victoriam ſibi contra Ieſuitas certiſſimā pollicitus eſt.

Summa quædam huius Apologiæ capita, erunt quatuor.

Ac primùm quidem, vbi de fide hiſtoriæ huius paucula dixero: tùm de Ieſuitarum doctrina; deque eorum viuendi ratione: ac demùm de conſilijs & fine, quem ſibi in omnibus actionibus propoſitum habēt, breuiter & apertè diſſeram: idque ea potiſſimùm de cauſa, quòd apud omnes Prædicantes Ieſuitarum præcipuè doctrina & vita velut ſcelerata, tùm conſilia quaſi ad ſeditiones ſpectantia exagitentur. Oſtendam autem omnibus, qui non aliqua mentis perturbatione ſunt excæcati, vt planè deprehendant, Ieſuitarum fidem ac doctrinam puriſſimam, vitam & diſciplinam ſanctiſſimam eſſe: neque quicquam eos agere aut machinari, niſi quod ad publicam pacem & tranquillitatem ſpectet. Nihil verò in medium allaturus ſum, quod nō plurimis, & omni exceptione maioribus teſtib. poſſim comprobare: ſiue pro Societate IESV, ſiue in eius Calumniatores aliquid dicendum ſit, quibus ſemper habita potius ratione ſtatus ac dignitatis meæ, quàm ipſorum improbitatis; ita tamen reſponſurus ſum, vt quales ſeipſos infami hiſtoria conſcribenda & edenda declarârint, & intelligant ipſi, & cognoſcant cæteri, quos ipſi fortè ſuis ſe calumnijs Societati IESV, infenſos reddere poſſe putauerunt.

CAP. I. Nullam fidē mereri hiſtoriam Ordinis Ieſuitici.

PRIMVM igitur quam fidem mereatur hiſtoria Ordinis Ieſuitici, apud prudentes omnes & æquos rerum æſtimatores inde conijci poteſt, quòd certùm ſit; Hiſtoricum vt ſincerus rerum, quas narrat pronūciator videatur omni affectu ac odio carere oportere, ne vel amore, vel inuidia partium permotus quicquam prodidiſſe videatur. Ecquis

enim

enim alicui vel Turcæ, vel Apoſtatæ à fide, hiſtoriam de Chriſtianorum diſciplina ac ſacris ſcribēti, fidem habeat, & quantumcunq; aſſeueranter confirmanti, credat? Si illi, qui eo tempore & loco, deque ijs rebus memoriæ hiſtorias edunt, in quibus vix poteſt eſſe ſuſpicio falſitatis, vix perſuadent, vt videantur omnino vera ſcribere: quid ſperari poteſt ab ijs, qui publicè ſe profitentur hoſtes eorum, de quibus commentarios conficiunt? Quàm autem ij, qui hiſtoriam hanc conſcripſerunt, inimici ſint Ieſuitis, nō eſt opus multis declarare; ipſi enim ſuam in eos beneuolentiam ſatis ſuperq; declarant, cùm tam acerbè Ieſuitas irridēt, tamque impudenter calumniantur, tam ſtultè ac nequiter ipſorum inſtitutū interpretantur, vt vix reperire ſit librum, in quo maiores & abſurdiores fabulæ pro veritate Lectorib. obtrudātur, quàm in hac hiſtoria. Quicquid penè in ipſum totius humani generis hoſtem excogitari poteſt maledictorum, id in Societatem IESV, vniuerſam effutiuit hæc hiſtoria. Ac omnino nemo inuenietur, qui vllum argumētum ſinceritatis aut veritatis in hac hiſtoria deprehendat, ſed illud omnes cognoſcent, plenum eſſe librum inuidiæ, & inexplicabilis in Ieſuitas odij. Iam olim dictum eſt à neſcio quo: præſtare, vt quis acriter vituperetur, quàm laudetur frigide. Et certè ſi conuicia ac contumelias huius libri quiſquam conſideret, non poterit non æſtimare ab odio profectas, atque adeò fidem toti libro derogare. Parco iampridem auribus, mentibuſq; honeſtiſſimorum hominum, ne exempla ponam verborū ac nominum contumelioſorum, quibus ab iſtis Hiſtoricis Societas IESV afficitur. Sed prudentiſſimus quiſq; ex ijſdem concludet, quamuis penitus illi ignota ſit hæc Societas; ſine tamen dubio laude digniſſimam eſſe oportere eam, quam tanto ſtudio & conatu tam improbo, eius inimici calumnientur.

Atqui inueniantur ſanè aliqui, qui fidē mereantur, etiamſi de hoſtibus ſuis hiſtoriam ſcribant; non tamen inde efficitur his quoque Hiſtoricis credendum eſſe. Videndum enim illud præterea eſt, qua fide alioqui ſint & auctoritate; atque

2. Primo auctori huius Hiſtoriæ neceſſariū penè fuit, aut impium

videri & per fidum: aut Ieſuitas acerbiſſimè calumniari.

atque vnde nam earum rerum cognitionem haurire potuerint. Qua fide ſit Elias Haſenmillerus, qui hanc hiſtoriam primus conſcripſiſſe fertur, inde colligi poteſt; quòd niſi in Societatem I E S V contumelioſus fuiſſet, rationem ſui ab ea diſceſſus & fugæ dare nullam aliam potuiſſet. Itaq; vt meritò fugiſſe videatur, Societatem calumniatur; dudum enim prouerbio protritum eſt, omnem Apoſtatam ordinis ſui deſerti eſſe acerrimũ hoſtem. Quid enim aliud faceret? Ieſuitas laudaret? Tunc eius fuga vituperaretur. Taceret apud ſuos? Sed tum adhuc potius Ieſuita haberetur, nec benignè exciperetur. Neminem arbitror fore tam audacem & proteruum, qui Eliam à leuitatis & inconſtantiæ crimine alienũ pronunciare poſſit, ac ne ipſos quidem, qui eum iam à Societate perfidum Transfugam fouerunt, ac cum gaudio exceperunt. Non fuit Elias ſceleratiſſimus ea ætate, qua inter bonum & malum, verum falſumq; diiudicare non potuerit: ne fortè ſe à Ieſuitis deceptum ac circumuentum dicat; quod tamen non audet, quamuis alioqui nihil non comminiſcitur. Aut igitur improbus fuit, ſuſcipienda alia fide, quàm ea, quam edoctus erat; aut certè poſtquam ſemel in eam iurauerat, abijciẽda ſceleratus: niſi fortè dicatur, nullo tempore probum fuiſſe, ſed ſimulaſſe tantùm ſe Catholicum; perfidiam autem Lutheranam nunquam ſeriò deteſtatum eſſe.

Quòd ſi quis contenderit, næ, ego haud magnopere repugnabo, callidum ſcilicet ſimulatorem extitiſſe ſemper Eliam: ſed inde potius concludam, omni fide indigniſſimum eſſe nebulonem; ſimul etiam conſiderandum omnibus mortalibus proponam, quanto ſe tunc perfidus ille ſcelere contaminârit, dum toties peierauit, quoties Catholicam fidem profeſſus eſt: dum toties ea commiſit ac peregit, quę ipſis Lutheranis horribilia planè & deteſtabilia videntur eſſe ſcelera. Vnde æſtimari poſſet, quæ ſit apud iſtos Iuramentorum religio: quàm peierare timeant: quod diſcrimen inter veram Chriſtianam fidem atque falſam ponant: quodque demùm nefas eis non ſit quamcunq; fidem

factis profiteri, dummodò inconcuſſa mens ei, quã veram exiſtimet, adhæreſcat. Vellem igitur negarent, ſeriò vnquã Eliam Catholicũ fuiſſe; delectaret ſe profectò illico oratio.

Neque enim vereor, vt quiſquam æquus ac bonus Iudex Societatis IESV Patres condemnet, tanquam qui temerè nec ſatis deliberatò talem ſimulatorem ad ſacra Catholica & Societatem admiſerint. Conſtat, quanta ſint cautione vſi ac diligentia. Neque enim vt primùm ad Patres venit, Catholicam fidem profiteri iuſſus eſt; ſed cùm ab illis domi humaniter exceptus, aliquot dies cum doctis viris ſermones contuliſſet, ipſeq; ſponte in medium attuliſſet, quæ putabat ſuæ fidei firmamenta, cumque ijs reſponſum eſſet; ac deinde aliquot etiam Septimanas Ingolſtadij in Collegio Albertino inter Studioſos Adoleſcentes vixiſſet, & auctores Catholicos multos legiſſet, ac tandem ſponte, magnis precibus ad fidei Catholicę profeſſionem admitti poſtulaſſet, & multa mutatæ voluntatis ac religionis indicia dediſſet, auditus tandem eſt, & receptus ac reſtitutus Eccleſiæ Catholicæ, cùm Lutheraniſmum magna pietatis ſignificatione abiuraſſet. Par fuit cura Patrum, ne properanter in Societatem ſuam adſcriberetur, donec tandem eius obteſtationibus reſiſti non potuit. Itaq; vt inter Tyrones Societatis eſſet, ei, permiſſum eſt, eaque de cauſa Landſpergam primùm, inde Romam, Roma Landſpergam denuò ablegatus eſt; & vt cæteri Nouitij ad genus vitæ & diſciplinę religioſę inſtitutus. Nequaquam autem adhuc ille vnquam inter Societatis IESV Religioſos numeratus eſt; quippe nullo voto obſtrictus vel obligatus DEO aut hominibus. Vnde apparet falſum eſſe, quòd iactetur hæc hiſtoria à Ieſuita quodam conſcripta eſſe: Nequaquam enim ille Ieſuita adhuc fuit.

Societati ſu in r' do Elianitas, pruatia ac charitas.

Itaque etiam fides eius inde labaſcit; quam tamen hoc nomine ſibi vult adhiberi, quòd ipſe quoque Ieſuita fuerit, atque adeò omnia Ieſuitarum arcana perſpexerit. Nunquam enim ille in Collegijs, niſi ad breuiſſimum tempus, vel vt Peregrinus, vel vt Nouitius vixit. Et nihilominus

3. Indigna fide Hiſt. Ord. Ieſuitici, quia à Tyrone & Nouitio tantùm ſcripta.

tamen ſceleratus Apoſtata id ſibi ſumit, vt interpretem agat Conſtitutionum Societatis I E S V, & quæ vnus fortè ſimilis illi ſcelere ac ſimulatione Nouitius dixit ac fecit, ea ipſis Moderatoribus Societatis attribuit, itaq; narrat tanquam omnium Ieſuitarum communi conſilio facta ſint: Aut quæ circa vnum Tyronem contigerint, toti Societati conſueta eſſe, impudentiſſimè mentitur: Quanquam, vt ſæpè dicendum, nihil etiam ab vllo Nouitio dictum aut factum commemorat, cui non venenum mendacitatis ſuę aſpergat.

4. Hiſtoria nomine indigniſſimus liber, qui toties ſibi repugnet. Ecquis tandem eſt, qui inimico ac hoſti Societatis IEſu, & in eadem Tyroni adhuc, homini leuiſſimo, fidem cum veſte mutanti, periuro, transfugæ credat? Et credat, narranti talia, quæ neq; ſunt credibilia, nec ſatis inter ſe cohærentia? Non enim hæc hiſtoria mendaciunculis leporis cauſa aut amplificationis gratia aſperſa eſt; ſed pręter mendacia & maledicta, interq; ſe pugnantes calumnias nihil omnino continet. Quoties ille Societati I E S V regias gazas, & *cap 5. & 6. Hiſt. Ord. Ieſ. & alibi.* in rebus omnibus elegantiā ac ſplendorem exquiſitū exprobrat; & nihilominus deinde narrat, ijs eos ſpectaculis ſaginari, quæ non ſolùm nullus homo elegantior; ſed neque bubulcus aut ſubulcus coram ſe fieri pateretur. Ille idē Ieſuitis omnium ſcelerum perpetrandorum, non libertatem, ſed ſummam licētiam; ac ſeruitutem intolerabilem, qua premantur, obiectat. Ille qui Ieſuitarum ambitionem exagitat; eorum abiectionem & in negotijs viliſſimis ſtudioſas occupationes commemorat. Quos libidinum nefandarum, homo impuriſſimus, arguit; eoſdem frænandarum cupiditatum & afflictationum corporum ſtudioſos pronunciat. Quorum vitam ſceleribus pleniſſimam eſſe contendit; eorum diſciplinam ſeueriſſimam eſſe narrat: Ita vt neceſſe ſit, ſi vera ſit hęc hiſtoria: Ieſuitas ſolos omnium hominum liberrimos ac miſerrimos; in vſu rerum ditiſſimos ac ſordidiſſimos; intēperantiſſimos ac ſeueriſſimos; nequiſſimos ac probiſſimos eſſe. Itaq; tantum abeſt, vt tanta libidine maledicendi ac mentiendi auctoritatem

& pon-

& pondus hiſtoriæ addiderit ſceleratus Apoſtata, vt etiam ijs, quæ ſpeciem veritatis habent, nemo credere auſit: vtq; etiam nonnulli, qui antè peſſimè Societatem oderant, lecta hac hiſtoria, quædam animaduerterint, ob quæ ſuſpiciendos & amandos Ieſuitas arbitrentur.

Illud præterea velim in mentem veniat omnibus, dum de hac hiſtoria audiunt, eamuè legunt; quo animo ipſi laturi eſſent, aut quam fidem tribuendam cenſerent ei, qui Hiſtoriæ nomine librum ederet, in quo omnia dicta, facta, cogitata alicuius familiæ, & quęcunq; in ea domo quomodocunq; acciderunt, toti mundo narrarentur, & ipſi Patrifamilias, tanquam auctori eorum aſcriberentur. Quis eſt tam ſanctus? quis tam innocens? quis tam ſecurus, qui quæ à liberis ſuis, quæ à ſeruis, quæ ab ijs, qui ipſo fortè abſente, domi ſuæ verſantur, vel pronunciata, vel patrata ſint, velit, aut poſſit defendere? Quis non iniquè ferat, in lucem protrahi, quę quamuis grauiſſimus homo & integerrimus, domi ſuæ inſtituat, iocos aut ſeria: quemadmodum ſe cum liberis, cum ſeruis, cum amicis delectet, aut quibus vtatur verbis, quibus geſtibus in ludo, in ſtudio, erudiendo, monendo, puniendo, blandiendo: Quemadmodũ ſe habeat, dum veſtitur, dum cubitum it, dum ſurgit: Et ſimila, quæ õnes quamuis honeſtiſſimè faciant, occulta tamen eſſe volunt? idque vel ideo, quia nemo ea non abſcondit: vel, quia talia etſi verè narrantur, tamen multis ſint munita circumſtantijs, quæ cùm neque ſciri, neque ſatis explicari poſſint, facilè fit, vt aliter contigiſſe exiſtimentur, atque adeò hominum obtrectationi ſint obnoxia. Quid ſi verò, qui hæc penatium myſteria reuelant, etiam inimici ſint eius familiæ, eamq; deletam atque occiſam cupiant? Quid non calumniarum excogitabunt? Exiſtimo igitur hoc ipſo neminem ſapientem crediturum huius generis narrationibus, quod communis hominum ſenſus eſt, eas ſine ſcelere nec commemorari, nec audiri poſſe. Arbitror quoque neminem Eliç Haſenmillero Ieſuitarũ mores ac conſuetudines recitanti, maiorem fidem habiturũ, quàm ipſe ſeruis ſuis

5 Narrantur mendaciter ea, quæ communi hominũ iudicio neque reuelanda, neque credenda ſunt.

fugi-

Multa fieri honeſtiſſimè, in cuiuſlibet optimi viri ſa milia, quæ tamen fas non eſt publicari.

fugitiuis haberi vellet. Nemo eſt, qui poſſit aperta domo viuere, ſic, vt ad omnia, quæcunque agat, arbitros admittere velit. Aut ſi quiſquam arbitros non horreret, talis mihi videtur eſſe vita Patrum Societatis IESV, quam omnes homines cum fructu inſpicere poſſent. Nihil enim illi occultant, niſi quod aut natura & ratio, aut certè virtus abſcondere iubet. Nam quia proficere, non autem conſpici tantum aut laudari volunt; ideo, quæ ſunt in habitu aut genere vitę diſſimilia, ea vitant. Intus omnia diſſimilia ſunt, frons verò populo conuenit. Magna igitur eis iniuria fit ab impudentiſſimis Calumniatoribus; qui toti huic honeſtiſſimo ordini quæcunque vel Nouitius vel alius quiſpiam, ſiue ioco, ſiue ſerio, prudens, aut imprudens, dixerit aut egerit, attribuunt; Et, quæ circa vnum contigerunt, in vniuerſam Societatem contumelioſè detorquent; quaſi verò omnes, qui apud Ieſuitas ſunt, in nulla re errare poſſint. Aut quaſi ſi quiſpiam, vel verbo vel facto lapſus ſit, cõmuni omnium conſilio & auctoritate id ſit factum. Penetrant impuri ac maledicentiſſimi Proditores, non in Collegia tantum, ſed ad cubicula, ad penum, ad culinam Ieſuitarum, quin etiam ad illos angulos de quibus nemo ſine pudore cogitat; ibiq; velut lutulentæ ſues ſe volutant, vt Ieſuitarum famam deinde commaculent. Quamuis autem Societatis IESV Patres non indignè ferunt hæc ab hominibus ſciri, quæ ipſi etiam ſecretò agant, quoniam ita viuunt, vt DEVM ſibi pręſentem eſſe ſemper meminerint; tamen illis tam falſa & abſurda affingi, inſignis eſt contumelia, à qua, vti ſpero, liberabit eos illa domeſticorum ſacrorum, quæ ab omnibus cordi eſt, Religio.

6. Nihileorũ, quæ continet hiſtoria Ieſuitici Ordinis, legitimè probari poteſt.

Porrò cùm grauiſſima & innumera flagitia commemoret hiſtoria, tanquam à Societatis IESV hominibus perpetrata, quo quæſo argumento ea confirmat? Nullo alio, niſi aſſeueratione ſua: Sic enim commemorat: Ille Ieſuita hoc mihi narrauit: Iſte hoc fecit tali loco, anno, &c. Ecquid non hac ratione, in innocentiſſimum ac probiſſimum quemque ſcelerum ac calumniarum confingi poterit, pręſertim

ſertim ſi mortuo illo, qui ſe teſtem facti aut dicti mali iactabat, publicetur calumnia, vt in hac hiſtoria factum eſt? quæ vel ob hoc ſolùm indigniſſima eſt, cui in vlla re tanquam veræ fides adhibeatur.

Quicquid in hiſtoriã profertur, ad Polycarpi Leyſeri perſonã ſpectat.

Atque hîc tua venit Polycarpe Leyſere ridenda ſtultitia & execranda improbitas, quam declaraſti in edenda hac hiſtoria tua. Tuam enim appello ſemper. Tu enim eam ne cum authore ſuo periret, conſeruaſti, locupletaſti, euulgaſti. Et ne erres, cùm quid in Eliam perfidum dixero, id ad te quoque ſpectare volo, qui es illo Apoſtata imprudentior, impudentior, ſceleratior. Ille cepit, ſuaſitque; tu patraſti, perfeciſtique maleficium: Ille miniſter, tu actor flagitij: Ille malleolos faceſque comparauit, tu incendiarius extitiſti. Illum quidem Sinonem tuum ac mẽdaciſſimum proditorem vindicta diuina celeri ſecuta pede & aſſecuta eſt cito, moriq; coëgit eo mortis genere, quo pereũt illi, quos DEVS ſpirantes adhuc flammiuomentium carnificum crudelitati mactandos & excarnificandos permittit. Te verò, ſi non ſeriò pœnites, quamnam putas pœnam calumniarum & mendaciorum manere, niſi eandem illam? Et fortè etiam ab illis, quos præter Ieſuitas, improbiſſimè calumniaris, mundi ſcilicet Dominis, Sereniſſimis, Illuſtriſſimis Principibus ac ordinibus Imperij, ſuppliciũ dignum tanto calumniatore. Nam ſi iudicio tecum agatur, ſique tibi, quæ ediditi, probanda ſint, quid quæſo tu in medium proferes? Quæ in Ieſuitas mentitus es, nunquam probabis: nec ea, quæ ſummis viris alijs & ſapiẽtiſſimis obijcis. Non enim parua ſunt: aut ſi parua æſtimaſti, non debuiſti tanquam nefandiſſima crimina obijcere. Dic ergò quibus teſtibus Ieſuitas ſcelerum, quæ de illis euulgaſti, conuinces? Rumore publico? Nondum puto ita te deſipere, vt incerto rumore nixus ſecurè calumniari velis. Auctoritate nomininis & offici tui? Atqui iam pridem te tui homines publicè priuatimque tanquam nauci & nihili deridendum mundo propinârunt. Et verò iam putantur vulgo calumniatorum omnium audaciſſimi ex hac officina Miniſterij

Euangelici prodire. Eliæ infœlicis ſola fide niteris: ille ſcripſit hæc, inquis, & ſcripſit quæ vidit, quæq; expertus eſt. Tunè mortuū teſtem citas? Et quomodo probabis hæc Eliam omnia ſcripſiſſe, nihil te affinxiſſe & addidiſſe? Alij chartas eius, quas apud me depoſuit, viderunt: illi teſtimonium reddent. Libet hîc mirari, cur nullus ex illis potiùs eas chartas publicâtit? An minus fortè Ieſuitis infenſi ſunt? An minus diſerti atque tu? An minùs impudentes, dicaces, audaces? Aut cur tibi ſoli hanc gloriam reliquerunt, cuius alioqui nomen, quibus modis poſſunt, commaculant? Mihi crede, nullum poteſt eſſe maius argumentum ſtultitiæ tuæ, mi Polycarpe, quàm hoc. Te ſub cultro reliquerunt. In te inuidiam hanc edendæ huius hiſtoriæ omnem deriuârunt. Tibi nunc, ſi in re agatur, calumniæ omnes probandæ ſunt, aut ſi probare non poſſis, pœnæ calumniatorum, & eorum qui famoſos libellos ſpargunt, ſubeundæ. De quo pluribus adhuc diſſeretur: dum nunc illud ſatis probatū ſit, nullam vlli prudenti ac ſapienti, aut viro bono rationem & cauſam apparere iuſtam poſſe, cur has in Societatem IESV calumnias ita legat, tanquam ſi veram hiſtoram euolueret: quandoquidem quò minus verè ſcripta eſſe cuiquam videatur, & auctoris leuitas, inconſtantia, improbitas, perfidia, ac ipſa mors: tùm ipſarum narrationum falſitas & calumniarum grauitas; mendaciorum infinitas & futilitas; verborum ſcurrilitas, maledictorum crebriras: demùm etiam tua Polycarpe ſtultitia, inſcitia, infamia, qua iam pridem laboras, impediunt. Sed tempus eſt, vt ex tuis calumnijs quaſdam ſigilllatim & ordine confutemus.

Stultus Polycarpus qui perſuaſionib. inimicorū Societatis IEſu adductus, hiſtoriam ſcripſit.

CAP. II. Defenſionis, contra calumnias de Patrū Societatis Ieſu doctrina.

QVARVM omnium fundamentum eſt ipſa fides ac religio Catholica, quam ita diſſeminant longè lateq; Societatis IESV Patres, tantaque cura, ſtudio, fœlicitate propugnant, & contra omnes veſtras machinas, fraudes, doloſque defendunt; vt quicunque cum ijs egerint, aut verſati ſint, mēdacia veſtra ac impoſturas facilè deprehenderint; adeò vt periculum ſit, ne ſi à veſtris, quos miſerè ſeducitis,

audi-

audirentur, aut ſcripta eorum in manus omnium peruenirent, & animo veritatis noſcendæ & amplectendæ cupido legerentur, breui omnes ad Catholicam vnitatem conuerterentur, quemadmodum multa hominum millia iam horũ virorũ ſtudio ac pietate, deſertis veſtris ciſternis, quæ aquam continere non valent, ad Eccleſiæ Catholicæ Romanæ fontes, magna contentione properârunt; & tandem veſtris impoſturis ac dolis cognitis, quòd vnquã vllo momento ab Eccleſia noſtra abfuerint, vehementer dolent.

Hæc vnica ac præcipua cauſa eſt odij veſtri in Partes Societatis IESV, omneſque eorum Patronos & amicos: hæc ſola doctrina vos audaces facit & promptos ad mentiendum & calumniãdum, quicquid vobis ira ac bilis ſuggerit. Videtis enim ſalua Catholica doctrina, itaq; defenſa, quẽadmodum à Societatis IESV hominibus publicè docetur, promulgatur, propugnatur, omnes hæreſes labi & corruere: patere conſilia ac leuitatem veſtram, voſque vt homines nihili & viliſſimos deſpici atque contemni; dum animaduertunt plerique in Catholica doctrina antiquitatem, vnitatem, conſtantiam, conſenſionem cum Scriptura diuina, cum Patribus ſanctiſſimis & grauiſſimis, demùm cum ipſa quoque ratione humana & naturali; cuius ductum nemo vnquàm ſecutus eſt, qui deſerta fide priſca Chriſtianorum, aut Lutheri, aut Caluini, aut aliorum Hæreticorum placita probauit: in quib. nihil inuenias, quàm vanitatem, falſitatem, impietatem, leuitatem, quippe quę fundamento ſtabili ac firmo careant. Eſſe autem hanc quaſi radicem omnium criminationum in Ieſuitas, doctrinæ ſcilicet Catholicæ propagatæ fœlicem ſucceſſum, neq; iſti omnino diſſimulant. Hinc tanto furore in hanc doctrinam debacchantur, tam contumelioſis nominibus eam inuidioſam ac ridiculã populo facere curant, vt nunquam quiſquam eorum maiore conatu Turcicam & Mahometicam vel aliam quantumcunq; abominandam ſectam confutârit aut irriſerit. Hinc quicqd in ſacris literis vel idololatris, vel ipſi diabolo tribuitur, hoc in Catholicã Romanã

Præcipua cauſa odij hæreticorum in Ieſuitas eſt ardor & fœlicitas in propagãda & propugnanda fide Catholica.

Hiſt. ord. Ieſ. pag. 234. & cap. 10. ſeq.

 detor-

detorquent Eccleſiam, eiuſque membra omnia, quæcunque ſint dignitate & auctoritate, ſiue in Imperio Romano ac Germanico, ſiue extra illud: nam neque Auguſtis quidem familijs parcunt. Præterea cùm ipſi hæretici vbique iactitant: facilè ſe cum cæteris Catholicis concordiam inituros, dum Ieſuitæ non eſſent, ſatis declarant, cur illos oderint. Significare namque volunt, Ieſuitas eorum conſilijs obſtare. Iampridem perditi quidam Impoſtores inuenti ſunt, qui perſuaderent & dictis & ſcriptis, non ita multum inter ſe diſtare Catholicos & Hæreticos: poſſe eorum dogmata conciliari, dum paucula quædam omittant Catholici, aut certè libera eſſe ſinãt. Sed hæc & talia Ieſuitæ quàm periculoſa ac pernicioſa futura eſſent, prodiderunt. Quid verò etiam illud eſt, quòd cæterorum ordinum Religioſos, Sacerdotes, alioſque Doctores Catholicos non ita inſectentur, ſicut Societatem IESV, niſi quòd vident, eam nulla habita ratione proprij commodi, animis ac ſtudijs inter ſe, & cum alijs grauiſſimis doctiſſimiſque viris, coniunctis, etiam cum periculo vitæ Catholicam religionem defendere? Et cum experiantur quoque hos canes eſſe, qui lupos iſtos Euangelicos, & voce & manu prodant, ideò eos ſibi dedi poſtulant, quò poſteà liberius in Chriſti gregem graſſari poſſint.

Societas Ieſu hæreticis præ omnibus Catholicis & Religioſis exoſa.

Sanè Polycarpe, voſque omnes Hæretici ac inimici Ieſuitarum, non rectè ſapitis aut facitis, tantum veſtrum odium in Ieſuitas manifeſtè prodendo. Primum enim iam ſuprà probatum eſt, auctoritatem & quaſi pondus veſtris narrationibus demitis, cùm illam in Ieſuitas impotẽtem animi perturbationem declaratis. Deinde minimè hac ratione, quod alioqui velle videmini, apud Catholicos Ieſuitas exoſos redditis. Cùm enim omnes verè Catholici vos habeant pro Hæreticis, non poſſunt non credere, Catholicæ fidei fortiſſimos eſſe & inuictos propugnatores eos, quos vos peſſimè odiſtis. Haud quippe dubium eſt, quin qui vobis plurimùm noceant, illi rei Catholicæ plurimùm proſint. Nonnè ſcitis eam eſſe hominum naturam, vt quos exiſtiment

Odium hæreticorum in Societatẽ IEſu, eã facit multis Catholicis amabiliorem.

ſtiment ſuis aduerſarijs maximè probari, eos habeant ipſi ſuſpectos, minimeque omnium ament: quos autem iſti oderint, hos illi arctius complectantur? Si Hoſtis Chriſtianitatis quiſpiam ſumma ope contenderet ab Imperatore, aliquem ex militiæ Chriſtianæ Ducibus aut ſibi dedi, aut Regno ac Imperio Germanico expelli: nunquid id eius Maieſtas veſtro etiam conſenſu factura vnquam eſſet? An non potius æſtimatura, magnum detrimentum à tali viro Turcicam rem pati? Imo fortè eius res geſtæ ob hoc ipſum maioris fierent. Sic igitur multi iam ardentius amare Ieſuitas cœperunt, poſtquam animaduerterunt tibi, Polycarpe, tuique ſimilibus adeò inuiſos eſſe.

Hæretici omnes eos, qui pro Catholica Religione fortiter pugnãt, Ieſuitas vocant, & ſic imprudentes ac nolentes Societatem laudant.

Mirabile illud quoque & inſignis Societatis laus, quam ei vos tribuitis, quòd quicunque ſeriò, fortiter, ac fœliciter rem Catholicam gerit, vel ſanctitate vitæ, vel ſapientia & eruditione, docendo ac ſcribendo, & veſtram impietatem confutando, is Ieſuita vobis eſt, ſiue ſit alioqui Monachus, ſiue Sacerdos, ſiue Canonicus, ſiue etiam Ciuili dignitate eximius; ſicut ego ob hanc meam defenſionem, vel pietatem potius & fidem tibi ſine dubio videbor: ſicut & plures alij in hac hiſtoria per contumeliam Ieſuitæ appellantur, hoc ſolo nomine, quòd acrius & fœlicius pro pietate Catholica pugnant. Feciſtis vos inuidia ac odio veſtro, vt iam multi penè ex Catholicis inuideant Ieſuitis, quòd ipſi ſoli videantur victores Hæreticorum ac præſidium fidei Catholicæ. Quod tamen certò & ſanctè confirmare poſſum, Patres Societatis I E S V, ſibi non arrogare: Quin, cùm innumera ac præſtantiſſima Eccleſiæ emolumenta adferant, de ſe tamen ita demiſsè ſentiunt, vt dubitent ſæpè, an officio ſuo ſatisfecerint. Agnoſcunt illi ipſi & prædicant, quantos ex alijs ordinibus viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, quantos multi Sacerdotes eruditiſſimi, quantos alij ſanctitate vitæ, alij auctoritate & prudentia ſua, quandoque cõiuncta cum potentia, quantos alij diſputando, alij docendo, alij ſcribendo, alij alijs modis, pro ſuo quiſque ſibi à DEO conceſſo talento & munere Eccleſiæ Catholicæ fructus attule-

Hiſt ord. Ieſ. pag. 22 123. 319.

rint; quantum in fide nutantes confirmârint; conſtantes ad ſummam pietatem incitârint, & calumniantium tela quàm fortiter retuderint. Hoc Ieſuitarum eſt, alijs ſuas coronas & laureas ereptum non ire, ſed ſibi debitas, alijs imponere potius. Verùm vos, vos, maleuolentia veſtra ita Ieſuitas extollitis, quaſi vnicum illi Romanæ Eccleſiæ propugnaculum eſſent, dum in eos ſolos, cæteris ferè omnibus, omiſſis, arietatis.

Stulti ſunt qui fingunt aut credunt aliam eſſe fidem Ieſuiticam quam Romanam.

Sed profectò in Societatis IESV doctrina ac viuēdi & docēdi ratione neq; mēs neq; lingua vobis conſtat. Iidē enim iſti, qui propter defenſionem fidei Catholicæ Ieſuitis ſunt infenſiſſimi, fingunt nihilominus diuerſam eſſe Romanā & Ieſuiticam. Et Romanam quidem fidem profitentes facilius tolerant, quàm Ieſuiticam. Verùm ſi cauſam inquiras, aliam non inuenias, quàm quòd Catholicos vacillantes aut improbos à Ieſuitis, hoc eſt, conſtantibus ac pijs diſtinguant. In quo non multùm repugnabimus. Illud enim apertè profiteor, vt omnes audiant: Eos, qui fidem Ieſuitarum non habent, neque Catholicam neque Romanam fidem integrè colere. Nihil ergo moramur iſtos, quos tu, Polycarpe, Ieſuitis infenſos eſſe dicis, quaſi nouam ipſi aliquā Romanam fidem profiteantur. Nam de ijs, qui ex Catholicis vitæ Ieſuitarum infenſi ſint, poſteà: De fide verò Ieſuitarum iterum pronuncio, Romanæ fidei non eſt, qui nō credit eadem, quę Ieſuitę credunt, & credenda proponunt. Sed quæſo te, Polycarpe, ſi Ieſuitæ nihil aliud agunt, niſi vt auctoritatem Pontificum, Cardinaliū, Epiſcoporum, tueantur, vt templa reſtaurentur & ornentur, vt Monaſterijs ſuus conſtet honor ac decus, vt Miſſæ ſacrificium, vt oblationes pro mortuis, vt cultus Sanctorum, religio feſtorum augeantur; poteraſnè dubitare, quin Romanam ſolùm fidem profiteantur, nec noui quidpiam adferant, quippe cùm omnia templa, quæ ſpoliaſtis, omnes Moniales, quas conſtupraſtis, omnes Sacerdotes & Monachi, quos ſeduxiſtis, aut conſtantes in fide occidiſtis, omnia ornamenta ſacra, quæ Sacrilegi rapuiſtis, nihil aliud loquantur & clament,

mēt, quàm Miſſas, eleemoſynas, inuocationes Diuorū, &c. de quibus dixi? Itaq; non eſt, quòd te cuiquam perſuaſurum putes, aliam eſſe fidem Ieſuiticam, quàm Romanam.

Sed iampridem fortè expectat aliquis, vt ea, quæ tu de doctrina Ieſuitarum toto capite 9. hiſtoriæ tuæ verboſiſſimè ac mendaciſſimè profers, & alias ſparſim cōtumelioſè in Societatem IESV iacis, confutentur. Verùm non ſum id facturus, neque enim Ieſuitarum doctrinam ego ſigillatim hac defenſione mea tueri ac propugnare, contra tuas innumerabiles calumnias propoſui. Neque tu, niſi conſcientia ſcelerum tuorum mentem ac rationem tibi eripuiſſet, vnquam in hiſtoriam diſputationes tam futiles & inanes de rebus grauiſſimis infarciuiſſes, Polycarpe: ſed ſi fuiſſet tibi animus Ieſuitarum doctrinam errorum conuincere, iactaſſes te diſputando aut ſcribendo contra illos; inueniſſes qui tibi reſponderent, & tuam inſcitiam omniū iam pridem ſermone celebratam, magis declararent. Nunc in hiſtoria diſputator latere voluiſti, ſcilicet vt nemo ſe tibi opponeret, quoniam non tāquam diſputator, ſed narrator pronuncias, quæ ſit Ieſuitarum doctrina. Sed ſunt qui te educant ex iſtis latebris: ſciebas ſcilicet ſi quid contra Ieſuitarū doctrinam ſcripto edidiſſes neminem in eo legendo aut emēdó quicquam vel precij vel temporis inſumpturū fuiſſe. Vt ergo hiſtoriæ nomine falleres, & imperitis etiam tuam eruditionem demonſtrare poſſes, doctrinæ Ieſuiticæ capita hiſtoriæ intruſiſti, veterator & Lucifuga. Quòd ſi quid fuiſſet, quod in Ieſuitarū doctrina diſputando potius, quàm mentiendo te confutare poſſe putauiſſes, Bellarminos elegiſſes aut Gregorios ex Ieſuitis, cū quibus in arenam deſcenderes. Quanquam iam olim omnia, quæ tu vel ſcelerate fingis, vel nequiter peruertis, aut cùm veriſſima ſint, mendacij & erroris coarguis: ita & ab alijs vniuerſim, & à me, quantū inſtituti mei ratio poſtulabat, partim ſunt confutata, vt ex veſtris etiam audaciſſimi quiq; & ob doctrinæ ſuæ opinionem arrogantiſſimi ne hiſcere quidem contrà aut mutire ſint auſi.

Nō eſt in hac Apologia doctrina fidei Catholicæ ſigillatim confirmanda cōtra mendacia Polycarpi.

Polycarpus libenter diſputat, quando aduerſarium nō timet ideo hiſtoriæ diſputationes obſoletas intrudit.

Prælium ſpecimen veritatis, qua vtitur Polycarpus in confutanda doctrina fidei Ieſuit.

Ne tamen videar omnino defugere tuam arenam & controuerſiam, in limine tantum conſiſtam eius capitis, quo tu de doctrina Ieſuitarum agis: vt quaſi guſtum accipiant Lectores eius orationis, qua mihi vtendum eſſet neceſſariò ad confutandas tuas calumnias, & coarguendam tuam incredibilem ſtultitiam. Recenſes autem Ieſuitarum de ſacra Scriptura ſententias, & auctores earum citas, qui omnes ac ſinguli contra tua mendacia luculentiſſima poſſunt teſtimonia præbere. Mẽtiris inprimis, Polycarpe impoſtor, Paſtor volui dicere, cùm aſſeueras: Falſitatem doctrinæ Ieſuiticæ à Kemnitio & tui ac illius ſimilibus Doctoribus planè & perſpicuè demonſtratam, itaque refutatam eſſe, vt ne verbulum quidem, quo ſolidè eos falſi arguant, Ieſuitæ producere poſſent. Mentiris, inquam, & ne nuda aſſeueratione, vt tu, vti videar, nullius in hac re iudicium reformido, qui ſincerè ſcripta veſtrorum & noſtra componere inter ſe diligenter velit: Ego ſi cũ luto ludere vellem, & horum, apud quos ago, abuti patientia, mille mendacia in promptu haberem, quorum eos, quos nominas, conuincere poſſem. Sed non eſt opus pluribus, qui nobis hîc mendacia ſpargãt: Vnus tu inſtar multorũ aliorum es, in quem Pater mendacij duplicem ſuum Spiritum mentiendi & calumniandi tranſtulit.

Hiſt. Ord. Ieſ. pag 234.

Ieſuitas ac reliquos Catholicos Scripturam ſacrã cereum naſum appellare mendacium eſt.

Mentiris, Polycarpe Calumniator, cum ais: *Ieſuitas vocare Scripturam ſacram, cereum naſum, materiam litis, librum hæreticorum*, & neſcio quid non. Non ſunt iſta encomia Scripturæ, quibus eam afficiunt Societatis IESV, Patres. Sed hoc quidem dicunt; Vobis eſſe Scripturam, cereum naſum, materiam litis. Dic mihi, ô ſtolide Polycarpule. Quoniam neſcio quis te nuper pro ſtulto riſit, & cucullo ſtulti donauit: quoniam tui te homines, fatuellum & ſtultellum iam olim appellârunt: ſi ego illorũ auctoritate fretus, te ſtultũ eſſe dixero, aut ſic ſcripſero: Polycarpus ſtultus eſt, & ſeipſum ſtultũ eſſe cenſet: Nunquid non iraſceris, & tibi iniuriam fieri inſignem putabis? Nunquid non profiteberis; Te verò ſapere, & ſtultos eſſe illos, qui te iudicent eſſe fatuum? Cur ergo

Hiſt. Ieſ. Ord. pag. 234. 235

quod

quod tibi fieri nolles, Scripturæ ſacræ & Ieſuitis impingis. Quia vos Scripturæ ſenſum variatis, & detorquetis quò lubet, nec vllam certam habetis regulam, ſecundùm quam Scripturas interpretemini, efficitiſque, vt æquè Lutherano Lutherianam, Caluiniano Caluinianam, alij videatur talem fidem demonſtrare, qualem ipſe pro ſua ſtultitia excogitat; Hæc cauſa eſt, cur vobis eſſe dicamus Scripturam, cereum naſum, & litis materiam: Nobis autem eſt firmamentum veritatis, & quidem norma certiſſima definiendarum controuerſiarum, ſi interpretem nacta ſit, cuius fides & auctoritas nunquam vacillet. Itaque non nobis, ſed vobis eſt cereus naſus, & ſimili modo loquendi ſi quis vſus eſt, id ſignificare voluit, ſcelere veſtro ac ſtudio contendendi fieri ſacram Scripturam tanquam cereum naſum, qua vt lubet abutamini.

Mentiris, Polycarpe impudentiſſime, Gregorium de Valentia virum vt religioſiſſimum, ita doctiſſimum, credere aut dixiſſe vnquam, *Lutheranos pro ſe literam habere; Catholicos autem neque literam, neque literalem in Scriptura requirere ſenſum.* Nam ex literali etiam ſenſu ſępiſſimè veſtra argumenta diluit, & inſcitiam veſtram (ita, vt tuis quibuſdam Magiſtris os obſtruens ſilentium indixerit, vt ne quidem audeant hiſcere) patefecit. Mentiris, *Ieſuitas Italicos prohibuiſſe, ne Biblia ſacra lingua vernacula imprimerentur.* Mentiris, *Tyronibus Societatis IESV Landſpergæ, ſiue, vt tu vocas, Neophytis Germanica Bibliorum lectione omnino interdictum eſſe.* Mentiris quoque, Ieſuitam dixiſſe, *lectionem Bibliorum faciliùs Lutheranam, quàm Romanam Catholicam fidem perſuadere.* Mentiris, *Ieſuitas, omnes Laicos à Scripturæ lectione arcere.* Mentiris, *Regulas ac Conſtitutiones Ordinum, DEI verbo à Ieſuitis præferri.* Mentiris, Ieſuitas dicere, *ſacram Scripturam in præcipuis fidei articulis & DEI mandatis, nullum certum tradere intellectum.* Mentiris, eos docere, *ex ſacra Scriptura ne doctiſſimum quidem planam ſententiam proferre poſſe.* Mentiris eos tradere, *ſacrã Scripturã omnibus pijs noxiã eſſe.* Mentiris, illos æſtimare, *non aliunde quam ex Bibliorum lectione hæreſes naſci.* Mentiris, *in publico foro à Ieſuitis ſacra Biblia combuſta eſſe.* Nam Lutheri Biblia non magis inter ſacros libros cenſeam, quàm hiſtoriam tuam, aut quàm te cũ tuo Elia, Polycarpe, ac Lutherum inter Diuos.

Mendaciorũ plauſtrũ pan ca lineæ Polycarpi exhibẽt Hiſt ord Ieſ. pag 235 vſq; ad 240.

Mentiris, *Ieſuitas ſacram Scripturam petulanter ridere, & calumniari, & blaſphemare.* Nam eandem ab ipſis ad Eccleſiæ, ſanctorumq́; Patrum mentem expoſitam hauſi, hauſtam pro meo modulo publicè interpretor, interpretatam ſubinde publico diſputandam, publicatam hactenus ſaltem non oppugnaſti. Mentiris, *Ieſuitas Biblia hominibus ſuffurari & rapere*, quæ ipſi multis & doctiſſimis Commentarijs illuſtrârunt. Mentiris etiam, *id fieri eo fine, vt Idolomania Papiſtica non deprehendatur.* Mentiris, *prohibere Ieſuitas, ne cum Lutheranis ex verbo DEI diſputetur.* Mentiris, Ieſuitas ſuadere, *vt qui doctrinam ex verbo DEI prolatam defendunt, gladio & igne tollantur è medio.* Verbis penè ipſius ſum vſus, ne fortè cauſetur, aliter accepta eſſe, atque ipſe voluerit.

Omnes Polycarpi calumnias occidit vnicum hoc telũ PROBA

Quòd ſi quis quærat, vnde probem mentiri his omnibus Polycarpum? Si illo fuero perfugio vſus: Polycarpus nullo teſtimonio etiam probabili hæc, de quibus Ieſuitas criminatur, probare poteſt. An non hoc ſatis erit, vt mendaciſſimus mortalium cenſeatur Polycarpus? Nam quem quis publicè grauiſſimorum ſcelerum inſimulat, quem accuſat, in quem Iudices ac omnes homines concitat, eum, niſi exauctorari velit, & eadem pœna puniri, quam alteri intentat, oportet, vt crimina obiecta probare poſſit. Quomodo hæc, quæ obiecisti, probabis Polycarpe? Grauia crimina namque obijcis. Iudices appellas, & vis etiam morte mulctari Ieſuitas ob ſimiles tuas calumnias. Ita enim inquis: *Omnes Chriſtiani ſupplices fiant Magiſtratui & Eccleſiæ Nutricijs* (Reges intelligis & Principes) *vt hoſce lupos & Sathanæ ſeruos ab ouili Chriſti arceãt. Certè omnium eſt, qui in Baptiſmo Chriſto nomen dederunt Ieſuitas, ceu publicam peſtem, non tantùm vitare & fugere, ſed etiam precibus & omnibus medijs à DEO conceßis* (nempe etiam ſupplicijs ac gladio) *per pium Magiſtratum propulſare.* Talis obteſtatio nonnè ſanguinem Ieſuitarum aut necem quærit? Vereor, Polycarpe, ne tu hîc potius, quàm vnquam Ieſuitæ, crudelis appareas.

Hiſt. ord. Ieſ. pag. 238.

Ad cædem Ieſuitarũ odio aſtuãs omnes Chriſtianos cõcitat Polycarpus.

Sed quid ſi Ieſuitæ huic tuæ orationi talem opponant? Nulla ſe, ſi meriti ſint, detrectare ſupplicia; id tantummodò rogare, ne innocentes condemnentur, & vt illis aut

crimina obiecta diluere liceat, aut certè, quo nihil iuſtius petere poſſent, tibi probandi, quæ effutiſti, partes imponantur. An neſcis, Polycarpe, apud æquos Iudices non tantum valere nudam aſſeuerationem, vt propter eam non dicta cauſa accuſati condemnentur. Tibi ſi crimina, quæ fingis, probanda ſunt, aut ab inferis Elias eſt excitandus, & neque tùm fides illi habebitur: aut certè illud luce meridiana clarius demonſtres neceſſum eſt, talem te hominem eſſe, qui mentiri aut falſum dicere nõ poſſit: quod tantum abeſt, vt ſis vnquam perſuaſurus, vt ego credam nullum multis ſæculis extitiſſe, qui plus audaciæ & impudentiæ ad mentiendum afferret, quàm tu, Polycarpe, cum Elia Haſenmillero.

Illa, quæ commemorauimus mendacia, multa vobis fortè videntur, & ſatis etiam eorum apparere falſitas. Atqui ſanctè affirmare audeo pauciſſima eſſe, & minimè perniciosa, præ cæteris innumeris, quæ toto libro ſparguntur. Quæ numeraui, vix ex duabus pagellis collecta ſunt, multis etiam ſtudio omiſſis. Totum autem illud caput propè ſexaginta paginas, integrum penè librum continet, in quo iam cogitate, quæſo, quantum & numero & põdere mendaciorum inſit: ſiquidem certiſſimum eſt, hæc paucula videri & leuia præ illis poſſe. Concludet hinc æquus ac prudens æſtimator, quid operis ſurgeret, & quàm vel intolerabilis labor eſſet, vel inutilis quoque, omnes perſequi huius mendaciſſimi Hiſtorici calumnias.

Mentiatur igitur, quicquid libet de doctrina Ieſuitarum; Eam Diabolicam, Antichriſticam, Idololatricam, Mahometicam, & quibuſcunque verborum contumelijs, in quibus eſt apprimè exercitatus, appellet, niſi aliter eam confutârit Polycarpus, quàm in hiſtoria ſua; mendaciſſimus & impudentiſſimus Calumniator, dum viuet, audiet. Illam enim Ieſuitę doctrinam profitentur: illam in pulpitis templorum populum edocent, in Cathedris ſcholarum confirmant, ſcriptis ac diſputationibus contra fraudes ac dolos, cuniculoſq; hæreticorum omnium defendunt, quam *Calumnia in Ieſuitas ob profeſſionem fidei Catholicæ ſponte corruunt.*

Chriſtus docuit, Apoſtoli & eorum ſucceſſores propagârunt, perpetua ſucceſſionis ſerie vſque ad hæc noſtra tempora, quamq; viri ſancti auctoritate vitæ & miraculorum multitudine ac magnitudine, incredibili tolerantia, admirabili eruditione, dictis, ſcriptis, ſanguine confirmârunt. Nam quòd verbum DEI vos iactetis, non magis verbum DEI habetis, atq; canis AEſopicus vmbram, quam amiſſa carne ſectabatur: quod toties iam inculcatum vobis eſt, vt pigeat ac tædeat pluribus hac de re vobiſcum agere: præſertim cum non tam diſputatio mihi, quàm defenſio Patrum Societatis IESV ſit propoſita.

Incredibili mendacia ac licentia Prædicantes ſub titulo Religionis turpiſſima & horrenda conuicia in Cæſaream Romanam Maieſtatem ac præcipuos Imperij Ordines iaciunt. Hiſt. Ord. Ieſ. ca. 7. pag. 161. & paßim aliàs.

Porrò vnum tamen facere non poſſum, quin hîc in medium proferã: Quæſo te, Polycarpe, qua fronte, cuius ope & auxilio fretus, tu Papam Antichriſtum, & Papiſtas ſeu Pontificios omnes Antichriſti ſeruos, & Religionem Romanam ac Hierarchiam Eccleſiaſticam, Babylonicam meretricem; eos autem, qui hanc ſequuntur, ſtigmaticos, hoc eſt, charactere beſtiæ inſignitos appellas? Quare Idololatras? Quare Pontificiæ Idolomaniæ ſectatores? Quare Papam declaratum Antichriſtum? Quare veritatem Pontificiam in Germania grande mendacium appellas? Sciſne vbi locorum & gentium loquaris? de quibus? quare eos arguas, & adeò contumelioſè nomines? Impunitas & clementia Principum Catholicorum, & ipſius Auguſtiſſimi Imperatoris te facit ad maledicendum audaciorem. Si cuiuſmodi tu maledicta & blaſphemias in Religionem Romanam Catholicam improbiſſimè, odio Ieſuitarum, effutis, extra Romani Imperij terminos ſcriptæ ac editæ eſſent, tamen pijs ac prudentibus tolerandum minimè videretur. Nunc cùm in ipſis viſceribus Romani Imperij talia ſcribuntur & ſparguntur, quantò minus id ferendum eſt? Nondum ſatis fortaſſis intelligis? Dicam igitur planius. Nam emittenda tandem hæc vox eſt, vera, vtcunque accipiatur. Tu Romanum Pontificem declaratum Antichriſtum nominas? Quæſo quis declarauit? Multis, inquis, indicijs, modiſquè. Non iam quæro quibus modis ſed à quo?

Sed nec hoc eſt opus ſcire, à quo declaratus ſit? Si Romanus Pontifex declaratus Antichriſtus eſt, & vt fingitis, filius Diaboli, perditionis, meretrix magna, &c. igitur Antichriſtum æſtimas inter omnes, qui vnquam homines habiti ſunt, ſceleratiſſimum, ac planè infandum, quippe qui ſe extollat ſuper omne, quod eſt & dicitur DEVS. Fuère quidem tam impij multi, qui ſe vt DEVS adorari vellent, ſed vix memini, qui ſe omnibus Dijs anteferrent, contenti ſcilicet ſaltem inter minutos DEOS recenſeri. At Antichriſtus omnibus Dijs cupit maior haberi & coli: Itidem de Romano Pontifice ſæpè tu Polycarpe inculcas. Quales nam ergo cenſebis illos, qui Antichriſti amici erunt? qui ſe ab illo filios vocari patientur & gaudebunt? qui eius auctoritatem ſequentur? qui eius ſacra colent? qui demùm eo loco habebunt, vt ſe ſine illo beatos eſſe non poſſe exiſtimēt? An nō meritò illos declaratos & indubitatos nepotes Diaboli, meretricis magnæ amatores, ſeruos ſtigmaticos beſtiæ nominabis? Si Papa Antichriſtus eſt, etiam eos, qui Papam colunt neceſſe eſt tales haberi, quales olim erunt, qui Antichriſtum ſequentur. Videte Augiſtiſſimi Imperatores, Reges Inuicti, Principes Sereniſſimi, Ordines Illuſtriſſimi; Videte roſas, quibus capita veſtra inſperſit Polycarpus. Vos nepotes Diaboli, vos ſtigmaticos beſtiæ ſeruos & mille alijs verborum contumelijs iſti perditi appellant; quia Pōtificem Romanum Eccleſiæ caput agnoſcitis; quia Eccleſiam Romanam reueremini; quia fidem, Sacramenta, benedictionem non à Luthero aut Polycarpo; ſed à Papa Romano ſuſcipere vultis. Prætereo plauſtra quodammodò conuiciorum & contumeliarum, quibus non occultè, ſed palam omnes & præcipui Romani Imperij ordines indigniſſimè petuntur. Et mihi nimia penè hæc videtur optimorum Principum clementia, qua tales calumniatores iampridem tolerant. Fateor nebulones iſtos indignos eſſe, quibus reſpondeatur; & celſiori dignitatis ac fœlicitatis gradu locatos Imperij Ordines, quam vt horum canum latratu lædi poſſint: ſed interdum quæ ſingula non lædunt, obſunt

Locis ſupra citatis.

2. Theſſ. 2.

Encomia Catholicorum Principum, quæ illis tribuunt Prædicantes.

obſunt vniuerſa: Eò enim iam ferè peruentum eſt, vt quiuis malè natus, maleque doctus, vbi vxorem duxit, veſtem manicatam ſumpſit, & barbam promiſit, Romanum Pontificem & Eccleſiā Catholicam innumeris conuicijs proſcindendo laudem ſibi ac gloriam quærat, nulla habita ratione Regum ac Principum.

Tenetur Polycarpus & Prædicantes crimine læſæ maieſtatis.

Forte negabunt vlla ſe contumelia afficere Reges aut Sereniſſimos Principes & Illuſtriſſimos, dum Romanū Pontificem inſectantur. At hæc ipſa magna eſt iniuria. An ſolis Regibus & Principibus licet eſſe idololatris & diaboli ſeruis? Sic enim omnes Romaniſtas appellant. Atqui ſi impietas eſt & ſcelus Papam venerari, eumque agnoſcere caput Eccleſiæ, eius decretis in rebus fidei obſequi, nemo erit magis ſceleratus & impius Regibus & Principibus, qui tantùm auxerunt Pontificum potentiam, & eorum auctoritatem etiam armis ſunt tutati, atque in hodiernum diem in Imperio Romano, vt Vicarios Chriſti honorant. Ignorantiam forte illis affingis, quaſi nondum illuxerit eis veſtrum Euangelium: Ergo Reges ac Principes ſtolidos & ignaros efficitis? Sed quid mirum? Iam olim his encomijs omnes ferè Imperij ordines impuriſſimus Lutherus decorauit. Vah impudentiam hæreticorum, & patientiam noſtrā, quæ iſtorū maledicentiam mirū in modum exacuit.

Vide cauſas conuerſionis ad fidem Catholicam Illuſtriſsimi Marchionis Badenſis. Motiuo tertio

Quæ à Catholicis in Prædicantes & eorum doctrinā dicuntur, nequaquā poſſe ad Principes proteſtantes referri.

Sed paratam habent reſponſionem. Iam enim illud afferent. Igitur ſi quid in Lutheri doctrinam, in Caluini dixeritis, aut in Prædicantes, id quoque redundabit in ignominiam noſtrorum Principum proteſtantium, & Auguſtanæ Confeſſionis. Primum nunquam ego probaui quenquam, qui eiſmodi verbis contra hereticos ageret, vt meritò videri poſſet Principibus proteſtantibus conuicium facere. Deinde minus crimen eſt, aliquid dicere in minorem Principem, quàm in Imperatorem, & eum, qui eſt caput Principum: qua tamen defenſione non vtar. Præterea nunquam in vllum Prædicantem, aut doctrinam Euangelicā, nedum in Principem vllum Proteſtantiū quicquam tam acerbè dictum eſt ab vllo Catholico, quam contumelioſè

in ipſos

In ipſos Imperatores ac Principes nominatim eſt ab ipſo Luthero dictum & ſcriptum: vt taceam illas inexplicabiles & à diabolo credo inuētas, dictas, ſcriptas, pictas, fictas contumelias in Romanum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, & omnes Sectatores ac ſubditos eorum. Non poſſe autem iocos & dicta grauiora, quæ in hęreſes veſtras dicuntur, in Principum ignominiam detorqueri, vel inde manifeſtum fit, quia vt in ipſum Principem illa deriuari poſſent, neceſſe eſſet, quemuis Principem proteſtantium debere eadem omnino credere, quæ eius Prædicantes credunt ac docent: ſed hoc neque fit, neque fieri poteſt: primò, quia vix inuenies in vna ciuitate duos prædicantes eadem credentes ac docentes perpetuò. Vnus autem Princeps diuerſa non credit. Deinde, hoc axioma Lutheranum & Proteſtantium eſt: Nulli credendum eſſe homini; in cauſa fidei, ſed ſoli Verbo DEI. Iam, veſtra dicta & ſcripta non ſunt Verbum DEI: Igitur quæ vos dicitis & ſcribitis, nō credunt Principes omnia. At, inquies, credunt, quatenus conſentiunt Verbo DEI. Mihi verò non videntur conſentire. Quid ſi ergo idem videatur Principi alicui Illuſtriſſimo? An iniuriam cuiquam facio, quantumuis magno & potenti, ſi hoc de illo æſtimem quod ego rectum ac verum eſſe ſcio.

Sed eſto: videantur ſanè quædam veſtra dicta & ſcripta vera Principibus veſtris, at quamdiu hoc non conſtat, quamdiu non Princeps aliquis ita ſancit: QVAECVNQVE A POLYCARPO DICTA AVT SCRIPTA SVNT, EA OMNIA CREDO; tamdiu quod contra dicta & ſcripta Polycarpi dicetur, in Principem illum nequaquam redundabit. viden' diſcrimen, ô ſtolide Polycarpe. Fides Catholica eadē eſt, omnium non ſolùm Principum Catholicorum, ſed etiam infirmorum hominum. At Proteſtantium non eſt eadem fides, ne Principum quidem, quorum alij Lutheri, alij Caluini placita ſequuntur, vt de plebe & Prædicantibus nihil dicam, quorum tot ſunt ſectæ, quot ferè capita. Præterea quæ Catholicus Doctor ſcribit aut loquitur, ea credunt

dunt omnes Principes Catholici eo ipſo, quòd non diſſentiant à fide Catholica Eccleſię Vniuerſalis & Romani Pontificis. Nec enim fieri poteſt, vt diuerſa credant, qui vni Romano Pontifici credunt. Atqui quamuis omnes Proteſtantes dicant, ſe credere Verbo DEI: tamen alij aliter ſentiunt, & aliam fidem profitentur. Quare cùm apud vos, talem quiſque fidem ſectetur, qualis ipſi videtur vera ex Verbo DEI: priuata vnicuique fides eſt, atque adeò priuata etiam illius, contra cuius libros aut ſermones agitur, reprehenſio.

Quanquam fortè non admodum indignaremur, ſi nos errorum ſolùm aut etiam hæreſum, vna cum omnibus Catholicis Imperij Ordinibus argueretis (quod tamen iure meritoque, imo ſine ſcelere nunquam facietis) ſiquidem fieri poteſt, vt etiam cæteroquin bonus ac ſapiens Princeps erret & labatur ignorantia: Sed vos noſtros Principes, Diaboli nepotes, Beſtias, Tyrannos, & ijs demùm verborum contumelijs appellatis, quibus neque ipſum Turçam affeciſtis. Nec eſt quòd vos ipſi ô miſeri Prædicantes, cum Epiſcopis comparetis & Pontificibus, quaſi ſi quod in vos dicatur conuicium, aut ſi crimen verum vobis obijciatur, id in Principum veſtrorum cedat ignominiam. Nullus apud vos ordo aut Hierarchia eſt: & tantū caliginis iam Principibus ac veſtris ſectatoribus offudiſtis, vt nullam in vobis dignitatem agnoſcant. Nolite igitur ô miſeri, vos Principibus conferre, cùm vobis etiam opifices & homines cōtemptiſſimi præferri velint. Quando aut dignitatibus eritis Principibus Imperij maiores, aut pares, aut ſanguine iuncti, vel quando Imperij Principes, Prædicantium miniſterium, habitum & officium ambirę cœperint (ſicut apud Catholicos omnibus Eccleſiaſtici miniſterij ſacris initiantur, & ſæpè etiam Monachi ac Religioſi facti ſunt) tunc inſoleſcite, tunc prohibete, ne quis hæreſes veſtras redarguendo, videatur redarguere Principes. Interim nequiſſimi Calumniatores, plorate & cauete, ne linguæ veſtræ petulantia, quò ſerius, eò ſeuerius coërceatur.

Naſus centuria 1. cap. 41. in effigie mõſtrantiæ Lutheranæ, cauſa 4.

Pote-

Poterant hæc de doctrina Ieſuitarum ſatis dicta videri, niſi non tantùm improbi Calumniatores in Ieſuitis fidem, ſed etiam diligentiam ac ſtudium accuſarent. Itaque præter impietatem, quam Ieſuitis aſſcribunt, etiam eoſdem inſcitiæ condemnat Polycarpus & ignorantiæ; credo ne ſi doctos fateretur Ieſuitas, ipſe indoctus aut de eruditione iudicium ferre non potuiſſe videretur. Minus mihi in hac calumnia confutanda laborandum eſt, quippe quam ipſi hæretici plerique falſam eſſe deprehenderint, vt iam ſæpè etiam ab ijs, qui hæreticorum præcipui videri volunt, nomen laudemque eruditionis & ingenij habuerint. Imò etiam nonnulli ex Proteſtantibus tanti iam pridem eorum eruditionem fecerunt, vt maiorem humana putarent ac prædicarent. Nihilominus tamen tam ſtolidus eſt Polycarpus, carpendiq; tam ſtudioſus, vt eos *ſub pelle leonina aſinos, ſub plumis columbarum coruos, vt anſeres inter olores, vt inter muſas graculos ſtrepere* dicat: quanquam his verbis opinionem quidem doctrinæ illis aſcribere videtur: ſed rem ipſam habere eos negat.

Polycarpus indoctum Ieſuitas eſſe indoctos calumniatur.

Hiſt. ord. Ieſ. pag 195.

At mirum eſt, quibus ille argumentis ignorantiam Ieſuitarum euincat. Hæc enim forſan auet quis agnoſcere. Sunt autem hæc: *Ieſuitæ domi plures Fratres ignorantia alunt, quàm doctos: deinde impetrarunt à Pontifice priuilegium conferendi etiam intra domorum ſuarum parietes honorum Scholaſticorum gradus, quibus videbitur. Sæpè quoque dum publicè honores peterent, inſcitiam ſuam prodiderunt: ac demùm eo ipſo quòd Pontificiæ ſunt religionis, ſolida veraq; eruditione carent.* Argumenta pauca, ſed multis & grandibus farta mendacijs: Sed faciamus vera eſſe. Nunquid quòd multi ignorantes ſunt, quòd aliqui minùs eruditi viſi ſunt, ideò omnes inſcitiæ arguendi? An verò omnes, qui priuatim teſtimonia ſuæ eruditionis, honorum titulos capiunt, ignorantes? Annè preterea, quæ ſacræ literæ docent, nullæ diſciplinæ & artes liberales, à quarum cognitione & vſu doctus aliquis & eruditus nominetur? Sed pius eſſe voluiſti: Nulla eſt ſine vera fide eruditio: Quam te, mi Polycarpe, non decet, ſi velis eſſe pius: Repugnat inſtitutio & conſuetudo tua. Quin tu

Argumenta quibus demõſtratur Ieſuitarum ignorantia.

ergò aliquid Theologicum nobis edis, vt te ſolidè eruditum videamus.

De Coadiutorib. Societatis IESu, qui non in literis, ſed in domeſticis officijs occupantur.

Verùm non ita cum hoc homine agendum eſt: ex mendacijs totus eſt compoſitus. Ieſuitas indoctos arguit, quòd quidam ex ijs ſponte literarum ſtudijs ſe abdicârint, quos illi pro ſua comitate libet appellare Fratres Ignorantiæ. Res autem ita ſe habet. Verſantur in Societate IESV quidam, qui cùm ipſi quoque religioſam vitam obſeruent, ac votis ſe DEO conſtringant, domeſtica tamen munera obeunt, ſiue ea, quæ perdidicerunt in adoleſcentia, ſiue ea, quę Moderatores pro cuiuſque conditione & aptitudine cuiq; deferunt. Hi non ſtudent, neque maiorem partem, etiam antequam hoc vitæ genus ſuſciperent, literis vnquam operam nauârunt. Lege cautum eſt quoque, ne ſi ſemel ſint ad hæc domeſtica officia deſtinati, ad altiora aſpirent: itaque omnem curam addiſcendi in literis aliquid abijciant, ſuo muneri inuigilent, & ſatis habeant, cum cæteris in pietate procedere: idque conſtitutum eſt à Societatis IESV Patribus, & prudenter, & neceſſariò, & piè. Neceſſariò quidem, quoniam quæ hæc eſſet perturbatio, quod onus, ſi quicunque aliquod officium adoleſcens perdidiciſſet, in Societate IESV iam matura ætate literas perdiſcere vellet? Quis verò tùm domeſtica munera & officia curaret? quis etiam non videt plerumque talium conatus in literis eſſe inanes ac inutiles? Itaque perinde mihi calumniari Ieſuitas videtur Polycarpus, atque ſi quis alicuius vrbis Magiſtratum reprehendat tanquam inſipientem, quòd non omnes Lanios, Coquos, Piſtores, ad Rempub. gerendam informet, & ad honores gerendos admittat. Sed hoc ex doctrina Lutherana eſt, nempe ſumma rerum omnium confuſio. Itaq; notum eſt, qui apud Religioſos infimæ ſortis erant, & fratres ignorantes, eos celeberrimos Verbi præcones effectos: & Carnifices quoſdam breui tempore ſic aptatos eſſe, vt Prædicantium vices obire poſſent. Noui ego qui die Sabbathi defricaret in balneis corpora, Dominica Verbum DEI, ſordium adhuc plenis vnguibus publicè reboaret, ſcilicet,

Quàm ſtupidũ Polycarpi iudicium.

Nas. centur. 1. cap. 52. ex Hoſio in effigie monſtr. cauſa. 4.

vt ſi-

vt ſimiles haberent labra lactucas: Numquid omnes oculi, inquit Apoſtolus, nunquid omnes Prophetæ? &c. Diſciplinæ ac ordini, qui eſt in Eccleſia vniuerſa, huic ſe conformat Societas IESV, cùm tam prudenter ac ſapienter officia, muneraque diſtinguit, vt in omni genere habeat, qui excellant, & vt totum corpus ritè gubernetur atq; conſeruetur. Piè etiam faciunt, quòd certos homines ſeligant, quos doceant in ſimplicitate ſancta regnum cœlorum con ſequi, ne indocti & inſipientes ſecundùm ſæculum, excludi videantur à regno DEI; aut in humana ſapientia virtus ac Religio conſiſtere. Itaque non minori charitate fouent hos indoctos, ſed pios ſuos Fratres Ieſuitæ, quàm illos, qui doctrina excellunt & clari ſunt, vt externa pacis, victus & veſtitus ratio teſtimonio eſſe poſſent; ſi non alia, quæ ſæpe ipſe admiratus ſum, fraternæ pietatis officia, ſufficientem fidem facerent. Noti ſunt etiam è ſanctiſſimis viris multi, qui humanam ſpreuerunt ſcientiam, vt conſequerentur diuinam vberiorem: non quòd illam planè contemnerent, ſed quòd non omnibus neceſſariam iudicarent. Notum eſt, de quibus illud dictum ſit: Indocti rapiunt regnum cœlorum, &c.

1. Corinth. 12.

Aug. 8. Confeſſ. cap. 7. de Antonio.

Illud verò mendacium eſt ſanè minimè ſubtile, plures à Ieſuitis ali indoctos, quàm doctos; plures eſſe coadiutores, vt ipſi appellant, hoc eſt, domeſtica ſolùm munera obeuntes, quàm qui literis & ſtudijs dent operam; cùm non plures tales alant, quàm neceſſarij ſint ad procurationem rerum domeſticarum. Itaque integra inuenias Collegia, in quibus vix quatuor aut quinque reperias indoctos Ieſuitas, qui ſi ad vos deficerent, doctiſſimi & eloquentiſſimi Miniſtri nequitiæ haberentur. Poſſem etiam illud addere, multos ex ijs eſſe, qui tametſi non mediocres progreſſus in literis habuerint, & non ſolùm inter doctos, ſed etiam honoratos aliquando cenſeri poterant, ſponte omni etiam honorũ ſpe abiecta, cæteris Ieſuitis tanquã DEI ſeruis, ſeruire maluerunt; idq; vt conſequerentur, multis precib. impetrâſſe. Sed hæc cùm dico, narro fabulã aſino: ille

Nouum mendacium ridiculum.

autem aures mouet, tu linguam quoque. Quanquam non hæc tibi, Aſelle Polycarpe, ſed hominibus potius dicta eſſe volo prudentibus, atque omnibus Imperij Ordinibus, vt tuam agnoſcant impudentiam.

Ieſuitas publicè ob inſignẽ inſcitiam pudefactos eſſe, impudens mẽdacium.

Sed illud fortè verum eſt, Ieſuitas publicè inſcitiã ſuam prodidiſſe. Ego autem hoc certum eſſe ſcio, te mentiri Polycarpe. Primum non niſi tardè, aut neceſſitate aliquã cõpulſi, gradus hos honorum ſcholaſticorum petunt; vt cùm in Academia docendum, aut alioqui hominum voluntati & iudicio ſatisfaciendum eſt, quod ſæpè non tam ob eruditionem honores tribuit, quàm ex honoribus de eruditione exiſtimat. Sæpius ego cùm honores peterent, in hac Academia ipſa ex officio interfui; nemini vnquam non digno conferri vidi, ſed ita ſemper, vt miratus potius ſim, nõ citius eos petiuiſſe, aut non maiores; dùm enim pro more fieret ipſorum doctrinæ periculum, tales ſe exhibebãt, quaſi iam plurimos annos fuiſſent publicè profeſſi. Illud quidem ſoliti quoque ſunt facere, & pręſertim, cùm ipſi Societatis IESV Patres hos conferrent honores, vt qui ex eadem Societate eoſdem peterent, illi vltimum ſemper locũ obtinerent, non examinantium iudicio, ſed propria ac religioſa, vt qui iam mundo renunciârunt, electione. Itaque ſunt qui mallent cum Ieſuitis vltimas, quàm cum alijs primas tenere: neq; facilè inuentum eſſe arbitror ex Competitoribus; qui ſe Ieſuitæ, quem ordine antecedebat, eruditione quoque præferret.

Omnes latebras excutit Polycarpus, vt videatur nõ ſine cauſa mentiri.

At verò priuilegia habent priuatim honores ſcholaſticos ſuis tribuendi. Quid priuilegij habeant, non curioſè inquiro. Vſum eius priuilegij vel nullum eſſe, vel parciſſimũ, & non niſi in publicam abſque cuiuſquam præiudicio vtilitatem, certò ſcio; ac dubito, an vnquam quenquam viderim ego, qui priuatim extra Academiam ſit Doctor aut Magiſter creatus. Hîc certè more & inſtituto Academico, cùm opus eſt, petunt & impetrant Ieſuitæ ſcholaſticas non à ſui ſolùm Ordinis hominibus, ſed & ab ijs, qui cum ipſis in eodem curſu verſantur, coronas. Sed eſt illa tua Polycarpe

De priuatis Patrũ Societatis Ieſu promotionibus.

inex-

inexplicabilis mentiendi libido, quæ facit, vt omnia perſcrutere & calumniere. Ego mihi ita perſuadeo; aut nemini hoc priuilegium, aut Societati IESV tribuendum fuiſſe, quæ tali beneficentia nunquam abuſa eſſe viſa eſt. Vobis certè talia largiri non expedit, qui etiam publicè indignis defertis hos honores. Nam qualis tu Polycarpe Doctor ſis, illi ſcient, qui te labem ac lutum huius ordinis iam dudum pronunciârunt.

Lege epiſtolā Maioris in Nouis Nouerum.

Sed quòd ſolida Ieſuitarum doctrina non ſit, hîc plurib. haud examinabo. Scripta ac libri, conciones, diſputationes eorum loquuntur, quę quamuis tibi Vox Stentorea, aut vocalior omnibus aſinis, quos videt Sol oriens & occidēs, eſſet, nunquam tamen obmuteſcent, nec Ieſuitarum eruditionem prædicare deſinent. Penè illud exciderat, quòd ais; *Doctores veſtros Ieſuitarum aſininam ruditatem ad oculum ſæpius demonſtraſſe.* Heu penè corrui hoc clamore & argumento tuo aſinino. Quæſo ſi conuertam ego orationem, & dicam: Ieſuitas veſtram aſininam ruditatem clariſſimè patefeciſſe: quid dices? Mentiri me? at ego te magis mentiri aio, & ad Iudices prouoco, non tantùm Catholicos, ſed etiam veſtrę perſuaſionis. Fatebuntur, ſcio, Ieſuitas indoctos nequaquam eſſe.

Patrum Societatis eruditio nō eget noſtro teſtimonio, cùm id à toto orbe habeat.

Verùm vix aliter fieri poterat, quàm vt inſcitiæ ac ignorantiæ Ieſuitas condemnares, quo hac calumnia fulciretur altera maior, quæ, ſi Ieſuitæ docti haberentur, rideretur aut exſibilaretur. Maius enim mendacium molitur Polycarpus, quod & ipſum doctrinam Ieſuitarum nonnihil attingit. In ſcholas Ieſuitarum irruit, eaſq; funditus euerſas cupit. Ringitur enim ac rumpitur penè inuidia, quòd videat tot Collegijs Ieſuitarum tantum honeſtiſſimorum adoleſcentum numerum erudiri, & in omnibus penè prouincijs ac regnis florem iuuentutis Ieſuitarum curæ ac diſciplinæ committi. Animaduertit quoque (oculatus tantùm ad ea videnda, quæ calumniari poſſit, quæque ipſum reddant miſeriorem ac Ieſuitis inimicum magis) ex ſcholis his Ieſuitarum non ſolùm religionem cōſtabiliri; ſed ipſam etiam

De ſcholis Societatis Ieſu.

Societatem augeri ac conſeruari. Hinc enim poſteà Rerumpub. Adminiſtratores, Gubernatores Eccleſiarum exiſtunt. Hinc noui fœtus, noui Ieſuitæ eliguntur, qui Veteribus ſuccedant. Et hi omnes conſtantiſſimi videntur, quoniam illis Catholicam Religionem cum lacte penè matris Ieſuitæ magno ſtudio inſtillant. Atque hoc eſt, quod Polycarpum excruciat animi, cùm vix inueniri potuerit ratio accommodatior reſtituendæ fidei Catholicæ, quàm cum literis ad priſcam pietatem à teneris annis adoleſcẽtes informare. Et verò ſenſerunt iam Hæretici, quem fructum ſcholæ Ieſuitarũ tulerint, cum pauciſſimos ex Ieſuitarum diſcipulis circumuenire ac erroribus ſuis implicare potuerint. Et vident manifeſtè, ſpes ſuas ac vaticinationes eludi: neque interire in Germania regnum, vt vocant, Papiſticum; ſed cæremonias Pontificias, ornamẽta templorum, peregrinationes, venerationes Sanctorum, & ſimilia magis penè nunc apud pleroſque in vſu eſſe, quàm olim. Quantumcunque verò ea Prædicantes irrideant, nihil tamen efficient, niſi vt ipſi tanquam ſtolidi & ſtulti rideantur. Sed audiamus tandem, quid de Ieſuitarum ſcholis æſtimet Polycarpus noſter. Præmunirem animos veſtros, Sereniſſimi Principes ac Illuſtriſſimi Ordines, niſi iam aſſueuiſſetis orationi Polycarpi, qui ſuffocaretur ſanè, nî mendacia & calumnias extruderet.

Patres Societatis IESV ſine mercede Iuuentutem erudiunt, & quare.

Primum enim ſignificat Ieſuitas gratis in literis Iuuentutem informare, vt eo artificio leuioris fortunę homines & fæx populi ſuos illis committat liberos, quos poſteà ipſi ſeducant, & ad Societatem pelliciant. Geminum, imò tergeminum mendacium. Cur Ieſuitæ gratis doceant, tantoſque labores, quanti Iuuentutis informatoribus exantlandi ſunt, ſine ſpe precij aut præmij humani obeant: eſt, vt eò fidelius in hoc tam ſancto & neceſſario opere elaborent, quippe qui DEVM ipſum Remuneratorem exſpectent; & vt oſtendant, quid in educanda & docenda Iuuentute Chriſtiana quærant, nempe nullum lucrum aut mercedem, ſed Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, & fidei conſeruationem

ac propagationem. Quis verò eſt tui Polycarpe diſſimilis, qui non potius miretur Ieſuitas homines doctiſſimos; & quorum plerique inter cæteros ſuos ciues opibus ac honore, vel propter natales, vel propter virtutem & ſapientiam florere potuiſſent, eò ſe ſpõte demittere, vt, ad quod multi vix magnis præmijs & lucro incitarentur, ipſi alacriter ſubeant, & deuorent hũc puluerẽ & miſerias ſcholaſticas, tanta diligentia & fide, quanta vix vnquã in alijs comperta eſt.

Neque ſolùm inſtituunt ad breue tempus, ſed quodammodò in perpetuũ ſe huic muneri dedicant, itavt vbi ſcholæ Societatis ſint, eam regionem vel ciuitatem nihil omnino de Iuuentutis formatorib. ſollicitos eſſe oporteat. Tanta enim cura ſtudioque hoc agitur, vt ſi in aliqua Repub. administranda, ea adhibeatur vigilantia & ſolertia ac prudẽtia, quam in ſuis ſcholis moderandis adhibẽt Ieſuitæ, eam beatam & fælicem futuram nullatenus ſit dubitandum. Vidimus & mirati ſumus tùm in hac Academia, tùm in alijs, ex quibus initijs ad quod faſtigium & perfectionem peruenerint ſcholæ Ieſuitarum; quantumque quotidie adhuc elaboretur, vt nihil ſcholaſtica Reſpub. detrimenti patiatur. Tu homo furioſus ac importunus, illis etiam inuides, ſi ob tantum beneficium, quod toti orbi præſtant, vbi habitent, vnde viuant, habeant. Et alio loco iterum horrendum mentiris, cùm dicis, eos mercedem nullam accipere, ſed ſi pro labore mittantur ad Collegia coronatorum aliquot millia, hæc verò eos accipere libentiſſimos & porrecta manu. Non ſolùm mendax, ſed etiam plumbeus ac bliteus es. Non intelligis, quid inter mercedem & eleemoſynam interſit, quod docerem ego, ſi te tantum aſinum ad hæc intelligenda dignum vel aptum iudicarem. Aio igitur mentiri te impudentiſſimè; Ieſuitas acceptaturos etiam multa millia coronatorum, ſi pro labore, quem in ſcholis ſuſtinent, offerantur.[c] Non enim acceptabunt pro labore quidquam, cùm ne id faciant, eorum ſit legibus ac decretis cautum, quorum ſunt ſemper obſeruantiſſimi.

Patres Societatis IEſu in æternum ſe. deſtinant inſtituendis adoleſcentibus

Conſtit. Soc. IEſu, part 4. c.1. paragr 8.

Auda-

Mentitur Polycarpus fæcem tantum adoleſcẽtum in ſcholis Societatis erudiri.

Audaciſſimè quoq; mentitus es, humilioris tantum ſortis & abiectos homines liberos ſuos in diſciplinam Ieſuitis tradere, vt ſcilicet illud pecuniolæ, quod alijs Præceptoribus dandum eſt, lucrifaciant: quaſi nullos ingenuos, nullos nobiles, nullos meliore loco natos habeant diſcipulos: quo mendacio ideò vſus es, vt ijs, qui de Ieſuitis nihil certi habent, perſuaderes, Optimates Catholicorum, Ieſuitas horrere, nec ſuos ipſis liberos committere; atque adeò vt Societatis nomen obſcurares. Atqui tantum hoc eſt mendacium tuum amentiſſime, vt verius dici poſſe videatur, nullos penè niſi Optimatum liberos à Ieſuitis informari: quanquam enim, quoniam commune bonum ſpectat Societas; non diſcernit ipſa inter pauperes ac diuites, nobiles aut ignobiles, ſed omnes omnino, qui ipſis formandi traduntur, quacunque ſint condicione, diligentiſſimè ad omnem virtutem & eruditionem erudit: tamen tam multos habet & tanto ſplendore generis toto orbe diſcipulos, vt præ illis cæteri tenuiores vel nulli vel pauci videantur, Teſtis eſt vel vnica hæc Academia Ingolſtadienſis, quæ non tantum in lectionib. & ſtudijs altioribus, tùm Ieſuitarum, tùm aliorum Doctorum, ſed etiam in ſcholis inferioribus, in quibus ad humanitatem inſtituuntur, auditores habet non Bauaros tantùm, ſed aliarum quoque nationum Germaniæ totius, tùm etiam Polonos, Gallos, Italos nobiliſſimos. Scilicet viles animæ, Polycarpo ſunt ampliſſimarum ciuitatum ac regionum, Senatorum, Conſiliariorum, Patriciorum, Nobilium, Baronum, Comitum, Palatinorum, Marchionum, Principum filij. Ob ſordes, ob auaritiam hos ad ſcholas, ad Academias Ieſuiticas & Catholicas parentes mittunt: quique liberorum cauſa ingentes faciunt ſumptus; illi vt duos aut tres aureos quotannis Ludimagiſtro ſoluendos comparcant, Ieſuitas eligũt, corruptores adoleſcentum, indoctoſque Magiſtros. Non te pudet Polycarpe? Non agnoſcis amentiſſimas tuas contumelias, non in Societatem IESV tantùm, ſed in omnes eos redundare, qui apud Patres Societatis IESV literis operam

ram nauârunt. Quocunque tu per ditiones Catholicas iter facias, reperies viros nobiliſſimos & potentiſſimos opibus & auctoritate, qui vel ipſi glorientur Ieſuitarum diſcipuli fuiſſe, vel cum gaudio narrent ſe liberos ſuos in Ieſuitarum ſcholis alere. Ergo hoc ipſo tu eos ſordidos, viles, abiectos exiſtimabis, & perſuadebis, credo, vt omiſſis Ieſuitis aliquem Ludimagiſtum malè natum, malè inſtitutum, malè eruditum, qui paulò pòſt Polycarpus quiſpiam impurus, clamoſus Prædicans ſit futurus, quærat, cui chariſſima pignora ſua commendet potius, quàm iſtis, quos ſolus amor DEI, & vtilitas communis permouet, vt Iuuentutem inſtituant.

Verùm non ita leuiter agit Polycarpus: Tales enim *parentes, qui liberos ſuos tradunt Ieſuitis, ſtultiſsimos* vocat, *imò etiam Idololatras, prætereà ſacrificos Dæmonis: quòd Moloch idolo & Diabolo ſuos liberos tūc ſacrificent.* In hac ipſa Academia præter nobiliſſimos, quorū vix iniri poteſt numerus, iuuenes ex Baronum, Comitum, Marchionum, Principum familijs clariſſimis & illuſtriſſimis, his proximis annis ex ſola Bauarica Domo quatuor Sereniſſimi iidemque lectiſſimi Principes, Carolus, Ferdinandus, Philippus, Maximilianus Primogenitus ad Eccleſiæ defenſionem nati, Sereniſſimi Guilielmi Bauariæ Principis Filij: Ex familia Auſtriaca Sereniſſimus Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Princeps præſtantiſſimus, Caroli Filius Primogenitus, Ieſuitis Præceptoribus libentiſſimè ac fœliciſſimè vſi ſunt pluribus annis, nō priuatim ſolum, aut in ſtudijs grauioribus, ſed etiam in ipſis eorum ſcholis inter reliquam Academicam Iuuentutem, quæ tantis Principib. non ita vilis & abiecta eſt, quam Polycarpo. Horum ergo tam inſignium Principum optimos & ſereniſſimos parentes Polycarpus quoque ſtultos iudicat, Idololatras pronunciat, & liberorum ſuorum interfectores proclamat, eo ſolum nomine, quod Ieſuitis Præceptoribus erudiendos ſuos liberos commendârint. Tam cæca eſt in Polycarpo mentiendi libido, vt nōn diſpiciat, quem feriat, dum Ieſuitis ſolùm maledicat. Paria de ipſis Ieſuitarum Academijs, deq; [illegible] omni-

Polycarpus ſtultos & Idololatras & parricidas nominat, qui liberos ſuos Societati IESV cōmittunt.

Præ nimia rabie inuidia

In Societatẽ IESu, præter opinionem di ſcrimini maximo irretitur Polycarpus.

omnibus ferè eorum Collegijs ac ſcholis dici poſſent, quarum multæ ſunt etiam hac noſtra frequentiores. Iam enim ſcholas habent, in quibus ſupra duo millia diſcipulorum ex diuerſiſſimis regionibus congregatorum conuenerunt. Certè ea ferè vbique eſt ratio temporum, vt nemo tenuioris fortunæ extra patriam liberos ſuos ad liberalia ſtudia proſequenda alere poſſit: ex quo etiam Polycarpi mendacium coargui poſſet. Sed ante omnia hæc refellunt illi ipſi, qui Ieſuitarum diſcipuli fuerunt, homines nobiliſſimi, doctiſſimi, ſapiĕtiſſimi. Quæ Reſpublica clarior aut illuſtrior eſt? quis Ducatus? quod regnum? quæ prouincia? in quã non inuenias Ieſuitarum diſcipulos, homines pollẽtes opibus, aut virtute, aut prudentia? Quos ſi viles fuiſſe dicas, dum Ieſuitarum diſcipuli eſſent; ne, magna Ieſuitis debetur gratia, qui etiam tenuium ingenia ita perpolire poſſunt, vt tãtam gloriam aſſequantur: Sin autem etiam natalium ac ingenuitatis decore ſemper fuerãt ornati, tu Polycarpe de mendacio erubeſceres, ſi quidem vllum rubori ac pudori in corpore tuo locum reliquiſſes. Taceo quot Epiſcopos, quot ampliſſimarum dignitatum Eccleſiaſticarum viros doctiſſimos, eloquentiſſimos, ſapientiſſimos, ac ſimul etiam vitæ integritate Hæreticis quoq; multis probatiſſimos, ſcholæ Ieſuitarum ac Collegia produxerint. Demùm verè affirmo, nullius gentis, nullius ordinis ac dignitatis ſunt homines, ex quibus non multi Ieſuitas Præceptores habuerint magno ſuo & Reipublicæ bono.

An & quomodo ex ſcholis Societatis, ipſa augeatur.

Porrò ideò videtur hanc quoque calumniam ſtruxiſſe Polycarpus, vt inde concluderet, Societatem IESV ex hominibus abiectis & viliſſimis conflatam eſſe. Ita enim ratiocinatur: Scholæ Ieſuitarum quaſi plantaria quædã ſunt ipſorum, ex quibus eos, qui maximè proficiunt, ſeligunt, ſeducunt, & blanditijs ineſcant, donec tandẽ in ſuam naſſam miſeros pertrahant & ſeruitute Ieſuitica premant. Atqui diſcipuli eorum, vilium ac tenuiorum ſunt liberi: Igitur etiam ex infimæ ſortis hominibus hæc Societas conſtituitur, ijs nempe, quos in ſcholis ſuis deceperunt. Verba mihi

deſunt,

deſunt, Polycarpe, ad tuam demonſtrandam nequitiam & mendacitatem, vt neceſſariò mihi eadem repetenda ſint. At quoniam tu iiſdem verbis diuerſa conſtruis mendacia, minus mihi vitio vertes, ſi iiſdem verbis interdum repetitis diuerſa tua mendacia confutauero. Ieſuitas humaniter Iuuentutem tractare, non nego: addo etiam pijs ac literatis munuſculis ſolere illos ſibi teneriorum animos conciliare; ſed quo fine? Eo ſcilicet ſolùm, vt his pellecti, incitentur ad amorem Præceptorum & literarum, vt potius beneuolentia, quàm ſeueritate regantur. Imò eo ipſo, quòd agnoſcant Patres Societatis, non ſe ſeruilium puerorum ingenia, ſed ingenuorum & nobilium inſtituenda ſuſcepiſſe, laudis & gloriæ ac præmiorum potius cupiditate, quàm timore pœnarum ad diligentiam ſuæ fidei commiſſos permouere conantur.

Patres Societatis Ieſu tantum abeſt vt blandimentis ad ſe pertrahãt iuuenes, vt eos etiam diutiſſimè probent.

Sed quod ad Societatem ſuam pelliciant blandimentis & illecebris, hoc falſum eſt. Primùm conſuetudo & lex repugnat. Deinde maiorem penè Ieſuitæ curam, ſolicitudinem & iudicium adhibent in Tyronibus admittendis, quã quiſquam fortè in eligendis amicis adhibeat. Præterea in ętate puerili nemini ad eorum Societatẽ aditus patet. Tùm ſi quis etiam matura ætate, & conſtante voluntate illis ſe adiunxerit, biennium totum concedunt, quo tempore ad mores Societatis inſtituitur, quos ſi probet, & probetur ipſius quoque virtus ac pietas, tùm demùm vt votis ſe obſtringat permittitur. Omitto enim plura dicere. An verò quiſquam poteſt ſe deceptum dicere, qui poſt tantum temporis ſpacium ſponte aliquod vitæ genus elegit, cùm toto illo tempore in poteſtate eius eſſet, vel eligere, vel deſerere inſtitutum vitæ genus? Quod autem multi quoque ex diſcipulis non blanditijs, ſed potius eruditione, integritate, ac pietate vitæ, morùmque, item concordia, quæ inter Ieſuitas eſt, ac demùm ipſo genere viuendi tam religioſo & honeſto pelliciantur, & Societatem cum ſuis Præceptoribus inire deſiderent, quis miretur, aut quis inuideat? Sicut neque illud vel mirandum vel reprehendendum eſt, quòd aut

Prima pars Cõſtitutionũ Societatis Ieſu de admittendis ad Societat. accuratè tract.

doctiores aut aptiores præferant alijs minus idoneis. Quis enim, optione data, non id potiſſimum eligat, quod melius ſibi, & ad finem vſumque, quò deſtinat, accõmodatius eſſe putat? In ſenatu conſtituendo prudentiſſimi, in Officijs Eccleſiaſticis diſtribuendis doctiſſimi & innocentiſſimi cæteris anteferri debent. Et Ieſuitæ cum homines inſtituãt ad omnium ordinum officia & dignitates aptiſſimos, pro ſe ineptiſſimos eligant? Iniuſta igitur hæc criminatio eſt, Ieſuitas dolo malo pellicere adoleſcentes, & plagij reos eſſe. Non enim quia inuitis parentibus nonnulli Societati ſe coniunxerunt, quicquam contra Ius aut Fas fecerunt, ſi ea ætate fuerunt, quæ eos iam quoad electionem ſtatus vitæ ſuæ ſecundum leges diuinas & humanas, patria poteſtate exemit. Scio tamen ipſos Ieſuitas omnibus modis elaborare, vt qui ſe eis aſſociare volunt, id conſcijs & beneuolentibus parentibus faciant, qui nimis interdum etiam & in perniciem ſuos filios amant. Nam ſcimus quoſdam parentes non leues pœnas dediſſe, retardatis à ſancto hoc vitę genere filijs ſuis.

Qui ſanctius vitæ genus inſtituere volunt, non neceſſe habent parentũ ſemper cõſenſum requirere.

Quanquam non ex ſcholis tantùm Ieſuitarum, ſed etiam ex alijs Academijs, ex locis remotiſſimis, ex ampliſſimis ordinibus & honoribus exiſtunt viri & nobilitate & dignitate & opibus potentes, qui deſertis ac ſpretis omnibus vitę commodis Ieſuitarum vel ſacris Concionibus, vel ſanctitate vitæ & exemplis permoti; vel diuinitus, interdum apertè, interdum occultè moniti & compulſi quodammodo, Societatem cum illis expetunt, & impetrant; quique nulla habita ratione vel natalium, quamuis è Principum familia eſſent, nec dignitatum, nec opulentiæ, nec auctoritatis inter cæteros viuant & agant familiariſſimè: laborent, ſtudeant, doceant, agant, quicquid à Moderatoribus eorum imperetur. Horum ego plurium nomina aſcriberem, etſi habenda eſſet ratio modeſtiæ Patrum Societatis IESV. Verùm hæc irrident Prædicantes. Nam iſtis Epicureis ignotum eſt, quicquid ad virtutem ſpectat. Non abijcere delicias, non dignitates relinquere, nõ propria elargiri,

Societati Ieſu ſe coniungunt multi viri Magni & nobiles, poſtquã honores ſummos adminiſtrarunt.

Prædicantes omnia ferè Societati Ieſu contraria faciunt.

giri,ſed volutari in voluptatibus etiam obſcœniſſimis,ambire honores indebitos,& aliena rapere conſueuerunt:nec apud illos vſitata eſt hæc metamorphoſis,qua ex malis boni,aut ex bonis fiant meliores;ſed illa ſolùm,qua ex optimis fiant nequiſſimi,ex Monachis ſcortatores,ex Sacerdotibus calumniatores,ex puris impuri,ex Religioſis ſacrilegi,ex improbis furioſi,ex hæreticis nebulones,qua in diſciplina non parùm profecit Polycarpus Leyſerus.

Quare potiſſimum Iuuentutẽ erudiat Societas IESV.

Qui etſi ipſe quoque fateri aliquando,immemor ſui,cogatur,in Societate omnis generis homines,nobiles,ignobiles,doctos,indoctos,nullo diſcrimine dignitatum præteritarum aut nationis vnanimiter ac concorditer viuere: illud tamen adhuc pertinaciter vrget,Ieſuitas diſcipulos non edocère,niſi Pōtificiam Idolomaniam.Sic enim præſcindenda lingua ſua appellat Religionem noſtram Catholicam. Calumnia eſt in verbis,in re verò laus Societatis maxima. Nunquam perſuadebis,mendaciſſime Polycarpe,Idololatras nos eſſe.Sed quid imprudens agis? Nihilnè ergo agunt Ieſùitæ,quàm vt Catholica fide erudiant & ſtabiliant adoleſcentum animos?Ipſi Ieſuitæ ſi dixiſſent, vix crederes,Polycarpe. Nunc demum animum Catholicis addidiſti,vt quicunq; ſaluam velint fidem Catholicam & liberos ſuos piè inſtitui,Ieſuitas ament,eiſq; liberos ſuos tradant.Vanam multi putabant ſcientiam eſſe: nihil liberis ſuis prodeſſe literarum cognitionem,timebant ne quò fierent doctiores,eò etiam deteriores euaderent.Si intelligent Ieſuitas eſſe,qui non ideo tantùm doceant, vt doctos diſcipulos faciāt,ſed magis vt bonos & Catholicos,certatim eorum operam Catholici omnes exquirēt. Quantumcunque enim tu Polycarpe, Pontifici & Religioni noſtræ conuitia facias, nunquam eripies eam mentem Catholicis,verā in ea ſola pietatem eſſe:& deerat nihil aliud,quàm vt Præceptores pietatis eſſent. Tales igitur tua confeſſione ſunt Ieſuitæ. Quòd ſi illi maxime laborant, vt pios & Catholicos diſcipulos faciant,quis dubitare poteſt, quin ipſi quoque pietatem cùm doctrina coniungant,atq; adeò ſint

Polycarpus imprudẽs laudat Societatẽ IESV.

vel pariter pij & docti, vel ſanctiores quàm doctiores? Nunquam æſtimabam tibi poſſe tale verbum excidere Polycarpe, quo Ieſuitas commendares: Atqui hîc imprudens ſummam eis laudem tribuiſti, quam ne fortè retractare velis; eiuſdem teſtes habes totas prouincias, ampliſſimas ciuitates, templa antiquiſſima, & loca poſt Ieſuitarum ortum & aduentum religioſiſſima quàm plurima, in quibus creuit ſacrorum hominum & Religioſorum multitudo & veneratio, reſtituta eſt diſciplina, inſtaurata templa, decorata altaria, multiplicata vaſa ſacra, inſtituta Monaſteria, ſacerdotia vetera repetita & locupletata, peregrinationes, ſupplicationes, celebritates, genuflexiones, congregationes, corporis afflictationes, & omnes priſcæ & Pontificiæ cæremoniæ magno incremento & incredibili ſplendore reuocatæ, vt multis locis ac templis inuidenda ferè videatur vaſtitas à vobis Lutheranis illata; à Ieſuitis verò, eorumque amicis ac Patronis tanto triumpho ac magnificentia depulſa.

CAP. III. Criminationum Polycarpi in vitam Patrum Societatis Ieſu.

SATIS iam arbitror manifeſtas eſſe calumnias tuas, Elia cum Polycarpo, quas in doctrinam Ieſuitarum ex immani contra illos odio euomuiſti: ad alterum caput nunc veniendum eſt, de vita Ieſuitarum, quam tu omnibus ſceleribus contaminatiſſimam & flagitioſiſſimam eſſe contendis, multiſque narrationibus dictorum ac factorum probare conaris, confictis inauditis, & incredibilibus criminibus ac calumnijs. Perhorreſcit ſanè animus meus, vel eorum ſcelerum, quæ tu Patribus impingis, recordatione, nedum repetitione aut confutatione. Ac ſanè niſi vererer, ne propter iſtas tuas criminationes, quidam imprudentiores minus benè de Societate ſentirent; niſi etiam tanta eſſent Societatis merita in Catholicam Eccleſiam, vt quoduis faſtidium deuorandum videretur, quò gratus erga eam animus declararetur, nunquam ego te, Polycarpe, vel verbulo dignarer: ſed habenda eſt ratio tùm ipſius Societatis, tùm eorum, qui eam minimè pernouerunt, quiq; aſſueti iam ſunt vobis credere, quicquid tandem illis credendum proponatur,

tur, licet ſit abſurdiſſimum ac vaniſſimum. Eam autem in demonſtratione innocentiæ Patrum Societatis ſeruabo rationem, quæ diſtinguat calumnias tuas, ne noſtra tuæ ſit ſimilis orationi, quæ vbique quiduis pro furore illo, quo agitatus es, profudit.

Societatis Ieſu Paupertas à Calumnijs defenditur.

Primùm igitur cùm Patres Societatis IESV, quemadmodum cæteri quoq; Religioſi homines Paupertatem profiteantur, in eam mirum eſt, quàm ſæpe, quanto impetu & furore incurrat Polycarpus, quaſi non ſolùm ſint pauperes, vt ait, ſine defectu; ſed opulenti, ac rebus omnibus, quas quiſque appetere poſſit, ſupra cæteros mortales abundãtes. Iam enim Ieſuitarum Collegia, Principum munitiſſimas arces magnitudine ac ſplendore ſuperant; regias gazas domi abſconditas habent, in templo oſtentant, in victu ac veſtitu delicati, ſplendidiq; plus quàm dici poſſit. Poſſem ego hæc fortè conuellere, ſi teſtes citarem pro Societate contra tuas calumnias, quotquot plura Ieſuitarum Collegia in Germania & apud alias nationes viderunt. Fortè etiã quibuſdam videretur aptè reſponſum, ſi Polycarpum ad Collegia Ieſuitarum inuitarem, viueret aliquamdiu inter illos, & hac opulentia ipſe perfrueretur: quæ ſi arrideret, ipſe quoque Societati nomen ſuum dare poſſet. Sed alia mihi quærenda eſt defenſio, certior & expeditior.

Eam igitur Ieſuitæ paupertatem profitentur, non vt nihil vllo modo habeant, ſed vt nihil veluti proprium poſſideant: non vt omnibus rebus egeant, ſed vt quàm minimo ſint contenti, non vt fame moriantur, ſed ne à virtute cupiditatibus aſtrahantur: Non eſt Paupertas, Leyſer, habere nihil, neque magis hæc Virtus aut Votum religioſum in rerum externarum vel vſu, vel defectu conſiſtit, quàm in affectu. Nam & multi mendici nequaquam animo pauperes ſunt, & multi diuites reuera ſunt mendici. Auarus congeſto pauper in auro eſt: & modicis contentus, in mendicitate locuples eſt. Neque Chriſti Seruatoris paupertas fuit nihil habere; neque Apoſtoli ac Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ omnibus rebus deſtituti erant. ſed nihil duntaxat habe-

Iniqua & inſulſa comparatio Polycarpi. habebant proprium. Neque eſt quòd hîc Anabaptiſticam bonorum communionem Ieſuitis obijciat Polycarpus; quam nonnulli non Anabaptiſtæ ſolùm, ſed & Prædicantes Lutherani ad mulieres extenderunt. Non enim illa bonorum fluxorum ac caducorum communio, aut abdicatio Iuris ſui, circa ea diſtribuenda, idcircò vituperãda eſt, quia ab Anabaptiſtis quoque vſurpatur; ſed illud eis ſolùm vitio meritò datur, quòd cùm ad hanc cõmunionem omnes homines cogere vellent, alios quoque ſimul nefandos abuſus introducerent: Alioqui ſi quicquid hæretici faciunt, aut Ethnici, Chriſtianis omittendum eſt; neque comedendum, neque bibendum, aut vxor ducenda fuiſſet Polycarpo, quoniam hæc hæretici quoque & Turcæ faciunt: imò quoniã plerique ita circa hæc verſantur, vt grauiter Deum offendant, ac conſcientiam ſuam vulnerent.

Paupertatis eſſe nihil poſſidere proprium. Verùm ridet nihilominus adhuc hanc paupertatem Polycarpus: nihil ſcilicet poſſidere tanquam proprium; & tamen interim omnibus quæ velis abundare. Rideâs ſanè licet, Polycarpe: ſed agedum tuis, quæ habes, bonis te abdices, neges ea tua eſſe. Id ſi & tu & quiuis alius facillimè facere poteſt, tùm demùm affirma, nihil eſſe paupertatem Religioſam. Omni me dominio, inquis, libens abdicabo, dũmodò certus ſim, fidelem aliquem fore, qui neceſſaria & commoda omnia miniſtret. Vtrum hoc in Religioſa paupertate ſit, pro libito vti, frui, quo velis, poſteà viderimus. Nunc illud reſponde Polycarpe, an ſperes te inuenturum talem, cui ita fidas, an non? Si non ſperes: Certè aliquid in Religione hoc quoque ſingulare eſt, quòd habeant Religioſi, quibus ita fidant, vt ſe probè curatos putent, etiam ſi nihil ipſi ſuſcipiant curæ & ſolicitudinis. Quod ſi procliue, cur non vbique eſt? Si in Religione ſolùm ac in Societate reperitur: igitur etiã aliquid in ea eſt peculiare, nempe hoc ipſum, quod Meum ac Tuum, omnium bellorum materia, ab ea exulant.

Sed longius progrediendum eſt Polycarpe, ſi vis Ieſuitarum paupertatem cognoſcere. Nõ ſolùm neceſſe eſt te abdices

dices iure dominij bonorum tuorum, ſed etiam illi, quibus te alendum committis & curandum, nihil proprij habeāt: aliena liberalitate te & ſe ſuſtentent. An hoc paratus es facere? ſimul etiam alieno nutu ac voluntate duci? Certò ſcio tibi hæc videri talia, quæ fieri non poſſint. Quod ſi eſt tam factu facilè, aut tam beatum reddit, quàm tu Ieſuitas facis ob immenſas opes, cur non hanc potius vitam eligis? Nemini certè perſuadebitis continentia quadā animi vos lautiores conditiones non appetere, quippe cùm à vobis neque res ſacræ quidem tutæ ſint. Sed mittamus iſta. Neq; tam opulenta, neque tàm facilis Ieſuitarum paupertas eſt, quàm vos facitis: ne dubitetis enim alioqui longè plures hanc vitam ſectaturos & electuros: Nullius rei dominium ſibi vendicare, modico rerum neceſſariarum vſu ad vitam honeſtè transigendam contentos eſſe, nec in abundantia luxu diffluere, nec in egeſtate animo collabi, ſcire abundare & penuriam pati, quanto egeas, non ex cupiditate propria, ſed aliena charitate æſtimare. Hæc ſunt, quæ ad Ieſuitarum paupertatem ſpectant, quæ tantum abeſt, vt vos imitemini, vt ne capere quidem ob ſtuporem mentis & impietatem poſſe videamini. *Philip. 4.*

Nihil ferè dici poteſt, quod calumnijs non pateat. Negabit enim Polycarpus, penes Societatem nulla eſſe rerū dominia. Sic penes Societatem ſunt rerum dominia, ſicut ſunt penes Magiſtratum in ærarium publicum, vt ſcilicet nemini is proprius theſaurus, ſed communi vtilitati ſit expoſitus: Sic ergo redditus annuos recipiunt Ieſuitæ, ſic poſſident bona, non vt quiſquam ex Societate ſibi ea vendicare poſſit; ſed vt toti alicui Collegio tanquam Religioſæ Reipub. cōſeruentur, vnde ſe alere ac ſuſtentare poſſint. Quanquam hoc quod dico, Collegiorum ſolummodò eſt, & eorum locorum, in quibus Tyrones ac Nouitij religioſa diſciplina imbuuntur. Domus autem profeſſæ, vti vocant, in quib. ij verſantur, qui potiſſima pars huius Societatis ſunt; ea prouentus annuos ne pro templo quidem recipiunt, ſed purè ex eleemoſynis & mendicatò viuunt. Verùm hoc

Societas Ieſu quędā Reſpublica eſt.

Domus Profeſſæ Ieſuitarum nullos redditus habent.

quoque inquit, facilè eſſe Polycarpus, dummodò nihil deſit. Sed erras ac mentiris. Non ita volunt eſſe Pauperes Ieſuitæ, vt nihil deſit; ſed ita, vt ſi habeant, quo egent, illo moderatè fruantur; ſi non habeant, magna animi æquitate eo careant.

Refellitur calumnia de ædificijs Patrum Societatis Ieſu.
Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 91.

Neque verò ſunt tantæ opes Ieſuitarum, quantas improbè fingit & mentitur mendaciſſimus Hiſtoricus: *Habent*, inquit, *palatia, ſplendidiſſimas ac regias domos*, imò his magnificentiores. Gaudeo tantas tibi videri opes Ieſuitarum, Polycarpe, quia quantò maioris eas æſtimas, tantò plus excruciaris inuidia. Itaq; penè tibi hoc concederē, ac illud ēt inſuſurrarē, Ieſuitas, omnes totius Europæ gazas poſſidere; & maximè talia dicerē, ſi ſperarem ita me tuam in Ieſuitas inuidiam exacuere poſſe, vt dirumperêre. Verùm certò ſcio non te credere, quod ſcripſiſti, niſi fortè tu Polycarpe nullum vnquam Collegiū videris. Elias certè hoc cùm ſcripſit, grande mendacium, reclamante conſcientia dixit. Collegia ſunt ampla? Quid mirum cùm multi ea inhabitent? Sunt ſumptuosè ædificata? Quaſi ſine ſumptu maiores ædes, & à multis inhabitandæ ædificari poſſint? Sunt elegantia, ſunt concinna? Fortè bonos Architectos nacti ſunt. Sunt locis opportunis ſita? Igitur ſalubria & ad benè merendum de ciuibus, apud quos habitant, commoda. Sunt ornata ac ſplendida? Quem mihi ſplendorem narras? Si noua, quid mirum? Candent enim parietes, tranſlucent magis in nouis ædificijs ſpecularia. Sunt regia palatia? Vbi quæſo locorum, & quot regia palatia habitant Ieſuitæ? Et; Luſtraſtinè illa Ieſuitarum palatia? Apparent & narrantur talia. Polycarpe appares nequam & Calumniator; nec lac magis lac apparet, quàm tu homo nihili: etiam rumor eſt talem eſſe te. Viſne credam, & talem perpetuò te appellem? Sed videris, luſtraueris, penetraueris Ieſuitarum palatia: Cur appellas regia? An pedibus gemmas Ieſuitæ ſubſternunt? An laquearibus aurum illinunt? An parietibus aulæa ſuſpendunt? Num per atria cubiculaque tabulas & ſigna precioſa diſponunt? Num vſquam in eorum ædibus regifica dona

ac ornamenta viſuntur? Eſto, inuenias Collegium (quod haud ſcio, an toto terrarum orbe reperire poſſis) in quo olim Reges habitârint; quamuis ad intima penetres; dum Ieſuitæ inhabitant, nulla decora aut ſuperba Regum ſpectacula in ipſis domibus viſes.

Sed non nego, multis locis ſanè ampliſſima ædificia Ieſuitis exædificata eſſe. At quis ædificauit? Si Reges ac Principes non tam quid Ieſuitæ peterent, quàm quid eorum munificentia ac magnificentia deſideraret, conſiderare voluerunt, nunquid Ieſuitas reprehēdas? Ipſos illos Monarchas ac Dominos adeas oportet, & diſſuadeas, ne tanto ſumptu Ieſuitis Collegia templaque exſtruant. Neſcio quis Philoſophorum cum exiguum quiddam à Rege poſtulaſſet, & plus accepiſſet; reddere volebat, quod ſupereſſe putabat: verùm id reſponſi accepit: Te quidem decebat, vt Philoſophum, modicis contentum eſſe: Regiam autem munificentiam liberaliter ſupeditare. Quid ergo tua refert Polycarpe, ſi qui Principum velint Ieſuitarum domibus ædificandis ſuam declarare munificentiam; aut maiorum pietatem æmulari; aut etiam hoc quaſi teſtimonio Societatis merita cōmendare? Præterea, nonne etiam olim ſumptuoſa & magnificentiſſima ſunt exſtructa pro Religioſis Monaſteria? Quanquam quis ignorat, iſtis Collegijs regijs, vt tibi videntur, ac magnificis, plura eſſe in diuerſis orbis partibus, quibus humiliter & abiectè, anguſtiſſimeque optimi Patres Societatis IESV habitent, & nihilominus tamen alacriter & conſtantiſſimè Catholicam fidem propugnēt, omniaq; ſui muneris officia promptiſſimè exequantur?

Ampla & magnifica Collegia nō Ieſuitæ, ſed Principes & eorum Patroni exſtruunt.

His addo, non omnia Ieſuitis ædificari, ſed publicæ vtilitati; Cui enim magis proſunt templa; Ieſuitis, an ijs, quibus ibi vel ſalutis via monſtratur, vel purgatur conſcientia, miniſtrantur Sacramenta, præbentur cōſilia & auxilia conſequendæ æternæ ſalutis? Quid ſcholæ? quibus maiora adferunt emolumenta; ipſiſne Ieſuitis, an potius ijs, quorum liberi illic ad pietatem & virtutem inſtituuntur? Hæc nemo conſiderat: ſumptus tantùm æſtimantur non autem

Scholæ & templa, publica potius ſunt, quàm Ieſuitarum ædificia.

vtilitas,quæ inde incredibili fœnore naſcitur. Si theatra,ſi arces, ſi domus ad luxum, ad ſpectacula ſumptuoſiſſimæ ædificantur,tacent,mirantur,laudant,viſunt omnes; cur ſola iſta,quæ publico bono fiunt,tanti ęſtimantur,& cum tanta inuidia cernuntur? Sed hi ſunt laſciuientis Euangelij mores,inuidere alienæ virtuti & felicitati: Prædicantes enim quoniam vident, quanta Lutheranæ hæreſi peſtis naſcatur in Ieſuitarum ſcholis: ideò eas exſtrui iniquiſſimè ferunt. Et ipſe humani generis hoſtis facit, multi vt hæc iniquis & inuidis oculis adſpiciant, ne inde fructum aliquem percipiant.

Multa porrò ſunt,quæ minus rectè conſiderata,ſpeciem habent ambitionis? æquo autem animo æſtimata, neceſſitatis apparent.Sanè fateor penè regio ſplendore hîc Societati Ieſu, munificentia Sereniſſimi Bauariæ Ducis ædificatum eſſe Collegium,idque ampliſſimum; quod cùm imperiti aut iniqui Ieſuitis homines vident, indignantur & mirantur magnificentiam.Nos qui ea ſæpè viſimus,etiam anguſtias quaſdam eſſe experimur. Magnam partem huius ædificij ſcholæ,magnam Sereniſſimorū Principum Alumni; aliorum ordinum Religioſi & nobiliſſimi Iuuenes; quos Ieſuitis non ſolùm vt Præceptoribus erudiendos, ſed etiam velut Parentibus educandos parentes miſerunt, occupant. Ex ipſis Societatis IESV Patribus plures hîc ſexaginta verſantur in domo non ampliſſima,pro tanto numero.Nam ſi ſinguli, velut cæteri,qui ſtudiorum cauſa hîc verſantur, in ſingulas fortè habitatiunculas per ciuitatem diſtributi eſſent, altero vel etiam triplo tanto maiorem locum, quàm nunc occuparent. Multi ſunt ex Societatis Ieſu Patribus, qui ſinguli tam amplas atque nunc vniuerſi ædes ac hortos fortè poſſediſſent,vel ex paterna hæreditate, vel propter inſignem ſapiētiam ac eruditionem. Cur ergo tot viris tam bonis & doctis inuideatur,quòd vnus ex illis cum pace ac beneuolentia poſſideret? At ipſos pauperes eſſe oportet. Erunt verò nihilominus pauperes, quamuis laxius aut commodius paulò habitent, quàm aliquis Sartor aut Piſtor,

Piſtor, aut etiam quàm aliquis Prædicans, cuius potiſſimũ ſtudium eſt operam liberis dare. Illos oportet eſſe pauperes: ſed quibus ipſi benefaciunt, eos conſiderare oportet, non quid Ieſuitæ poſtulent, ſed quid gratus animus debeat. Etiam vbi ampliſſimè habitant, vnuſquiſque habitatiuncula, quæ pro Muſeo ſit, contentus eſt; hortus, aliæq; in quibus cõgregantur, habitationes, communes ſunt. Commodas habent ſedes, ſed vt Religioſi. Indignum eſt velle eos, qui ſe ſpõte delicijs abdicarunt, omnibus etiam alijs commodis ſpoliare, quæ ipſe Chriſtus promiſit, omnia propter ſe relinquentibus.

Matth. 19.

At in veſtitu ſunt ambitioſiſſimi Ieſuitæ. Hoc enim multis verbis exaggerat Calumniator, cùm inſperſis pluribus mendacijs ita concludit. *Eſt hæc regia illorum, & cum Principum ſplendore pugnans circa veſtitum paupertas, quæ non Lazarum mendicum, ſed diuitem Epulonem, non Irum vel Codrum, ſed Crœſum & Craſſum, ſi non ſuperant, tamen æquare & referre ſolent.* Quid opus eſt hæc refellere? Poſſum negare Ieſuitas velle Lazarum referre, alioqui etiam neceſſe foret, vt eſſent vlceribus pleni. Quòd ſi tamẽ in talem neceſſitatem inciderent, nihil dubitarent eius patientiam & æquanimitatem imitari. Deinde hanc de veſtitu narrationem, eſſe calumniam, videt, quiſquis Ieſuitam vidit. Sed ita implicatè calumniator loquitur, vt vix ipſe ſciat, quid mentiatur, niſi hoc vnum, quòd verum dicere non poſſit. Porrò neq; illud diſſimulare poteſt aut incontaminatum relinquere, quòd in tenuitate ſua Patres Societatis IESV, non ſordes affectent, ſed munditiem potius; hancq; munditiem interpretatur ſplendorem magnificum: quamuis nihil afferre poſſit, quo ſuam calumniam ſtabiliat. Nam quæ de lectis Ieſuitarum, deque inſtrumento domeſtico apparatiſſimo narrat, tam futilia ſunt & inania, vt neque mentione digna ſint, niſi quòd vix verbum effutiat, quo non aliquod mendacium contineatur. Sicut manifeſtè declaratur, cùm de ſupellectile inſtructiſſima agit, quam etſi vt in alijs omnibus reb. mundam cupiant & conſeruent, tamen nihil in ea vel precioſum admodum, vel aureum atque ar-

Patres Societatis Ieſu in veſtitu, cæteriſq; rebus neque ſplendorem neque ſordes affectant.

Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 55.

genteum inuenies. Quòd verò ex ijs, quæ precio emendā ſunt, malint meliora ac leuiore precio emere, quodque id in mandatis habent emptores Ieſuitarum, quis magnoperè miretur, aut crimen eſſe iudicet? Egonè in his hæream? Scio viros prudentes ac bonos hoc ſemper in Patribus Societatis IESV commendare, quòd in paupertate & tenuitate ſummam ſeruent munditiem, quæ accedat quidem ad elegantiam ingenuorum hominum, longiſſimè verò abſit à luxu diuitum. Nulla tu mihi in vlla Ieſuitarum domo pocula, aut alia vaſa aurea, argentea, cryſtallina reperies. Fuerunt & olim quidam hac ſententia, qua Polycarpus, ſed contrarium experiendo didicerunt. Quin neq; ipſe Calumniator audet Ieſuitarum ſupellectilē tanti æſtimare, quanti vult eam à Lectoribus fieri. Itaq; vt fallat, mixtim de ſplendore ſacrarum veſtium, ac de ijs, quæ ad corporum ſuſtentationem pertinent, loquitur.

Quare & quomodo Societas Ieſu tēpla pulchra & ornata habeant.

Atque hîc non negamus, Polycarpe, viſurum te in templis Societatis IESV atque ſacrarijs aureos & argenteos calices, veſteſque ad vſum ſacrificiorum precioſiſſimas multas. Itemq; ſanctorum hominum reliquias thecis miro artificio fabrefactis incluſas. Neque tamen hæc in omnibus Societatis IESV templis paria, ſed in quibuſdam quidem magnificentiſſima, in alijs autem pauciora ac minutiora viſuntur donaria, ſecundùm fortunas ſcilicet ac pietatem, ſiue Principum, ſiue aliorum Catholicorum & piorum hominum talia ſponte DEO offerentium. Quòd ſi etiam profitentur Ieſuitæ, velle ſe habere templa quàm ornatiſſima; ſique cæteros, vt idem faciant, hortantur & monent, nihil aliud volunt, quàm vt quanti diuinum cultum faciant, his etiam ſignis & ornatu declarent. Quanquam videas in pleriſque Ieſuitarum templis parietes, aras, ſacramq; ſuppellectilem, non tam ob precium, quàm ob curā & ſolertiam eorum in conſeruando & vtendo, fulgere. Oderunt in domo Domini immunditiam & amāt elegantiam: Splendorem autem regium neq; quærunt abſentem, neq; ſpernunt oblatum, quia neque in eo ſanctitatem poſitam iudicant, ſi gem-

ſi gemmis & auro templa colluceant; neque tamen neſciunt, hæc incitamenta pietatis, & quaſi pignora quædam videri fidei Catholicæ, vtpote per quæ DEVS Auctor omnium opum ac munerum agnoſcatur; & oſtendatur contemtus etiam rerum fluxarum.

Pauperibus tales largiri opes oportet, inquis. Agnoſco Iudæ vocem, quæ iam olim exoleuit. Non deſunt apud Catholicos ingentia pauperibus parata ſubſidia, regiæ ac munificentiſſimæ eleemoſynæ. Et quantò magis templa lapidea decorantur, tantò ſtudioſius viua DEI templa curantur. Apud vos autem hoc experientia docuit, eoſdem & templa auro ac ornamentis; & pauperes ſuis eleemoſynis ſpoliâſſe. Nos templa decoramus, quib. ſcimus DEVM habitare, ita vt in ijs magis quàm alibi virtutem ac potentiam ſuam demonſtret. Vobis nec templa ſunt nec DEVS, quem vllo honore aſpectabili dignũ iudicetis. Et DEVM quem vbiq; etiã ſecũdùm humanã naturam verſari dicitis; vbique contemnitis, neque eum vllo loco, honore ac reuerentia dignum iudicatis. Sed de hoc ſatis. Scimus equidem vos cùm ornamenta templorum ſpectatis, dolere & ringi. Verùm fruſtrà. Quoniam ſemper Societatis IESV Patres id agent, vt omnia templa quàm elegantiſſima ſint ac pulcherrima. Pij autem Catholici more maiorũ noſtrorum inæſtimabiles theſauros ſponte templis impendent; Quo fiet, vt vbicunque aliquod templum veſtro furore vaſtatum vel viderint, vel de eo cogitauerint, vos execrentur ac deteſtentur; æternum ignem ac ſupplicium omnibus Prædicantibus imprecentur, qui tantum nefas ſunt auſi, vt & templa & eorum decora omnia auferrent, diriperent, in profanos vſus conuerterent.

De prouentibus ac redditibus Ieſuitarum, quos tu quoq; viseſſe maximos ac regios. Fatentur ipſi, ſe multorum Regum, Principum ac Ordinum fauore ſanè liberaliter ſuſtentari in Collegijs. Nam domus Profeſſæ, vt dixi, nihil habent poſſeſſionum aut certorum fructuum, niſi quod emendicãt. Cuius diſcriminis cauſa eſt; quod in Collegijs & *Prouentus Patrum Societatis Ieſu.*

Iuuentus literis erudienda ſit; & illi ipſi, qui in illis viuunt, magnam partem nondum ſint profeſſi, ſed ad eum gradum adhuc docẽdo atque diſcendo, & in omni Virtutum ac Religioſæ diſciplinæ genere ſeipſos exercendo parentur, inſtituantur & aptentur quodammodo. Nam ad eam, quam Profeſſionem quatuor votorum appellant, viros tantùm probatę per plurimos annos virtutis ac eruditionis admittunt: qui ſcilicet quoniam Summo Pontifici peculiari voto ſunt obligati ad quæuis Religioſo digna munera ſine vlla excuſatione aut tergiuerſatione, cum dignitate & auctoritate, ſimul etiam demiſsè ac conſtanter obeunda ſint aptiſſimi. Vt igitur quietè ac ſine alia maiore cura in literis ac virtute educari Nouitij ac literarum Studioſi, atque ad finem, quem ſibi propoſuerunt, peruenire, ſimul etiam vt qui totos dies in educanda iuuentute laborare debent, huic vni rei ſtudioſè inuigilare poſſint, redditus Collegijs tantùm & Domibus Probationis attribui paſſus eſt, ſanctus ille Ignatius: qui ita hanc Societatem inſtituit, vt quicunque eius inſtituta pernouerunt, admirentur vehementer, neq; dubitare poſſint diuino conſilio omnia ſic ordinata eſſe. Quæ quia mulieroſi Prædicantes non intelligunt, rident & calumniantur.

Ieſuitæ viduas ac pupillos nuſquam expellunt, ſed eis patrocinantur potius.
Hiſt. ord. Ieſ pag. 25. 202.

Necdum finis eſt calumniarum. Non ſolùm diuites ſunt Ieſuitæ & Principibus opulentiores, ſed etiam per rapinas & furta ſuas conantur opes augere: bonis ac ſedibus pellunt viduas ac pupillos, Sacerdotes & Monachos antiquis ſuis habitationibus exigunt. Bono animo ſum Catholicum fore Polycarpum noſtrum. Iam enim Monachorum Patronum & Aduocatum agit. De viduis ac pupillis per vim expulſis dic, Policarpe, vbi factum eſt? Auguſtæ, inquis, vel Ingolſtadij. Vel huc vel illuc veni, ſi lubet. Tot linguæ te mentiri clamabunt, quotquot ſunt, qui nouerunt, quarum domorum areas occupauerint Ieſuitæ. Verum eſt, Ingolſtadij ad ædificandum Collegium aliquot ædes ſunt dirutæ, ſed veteres & ruinoſæ. In ijs qui habitârunt, definito, conſuetudine municipali tempore ſunt præmoniti; preciũ tantum datum,

datum, quantum ſi ſponte vendidiſſent, à nullo vnquam Emptore recepiſſent earum Domini. At moleſtum fuit illis migrare. Etiam qui conducto habitant, migrare debent iubente Domino. Moleſtum eſt, quis neget? Sed nunquid ideo iniquus Dominus ædium quod ſuum recuperet? Nam ne tu ſis neſcius Polycarpe. Non Ieſuitæ hæc ædificârunt, ſed Principes pro liberalitate ſua ac magnificentia. At Ieſuitæ Principes decipiunt. Tu Polycarpe, qui fatuus es, quia te Conſiliario non vtũtur, fungos eſſe Principes putas. Malè tibi profectò cedet hæc calumniandi libido: Age, veni, ipſe conſule Principes Sereniſſimos, iube, tibi rationem reddant, cur viduas expellant, & Ieſuitas corũ loco ponant. Neſcis, quid mereatur lingua tam petulans? Excindi meruit, & tui ſimilibus cocta apponi, vt diſcerent ſuas cohibere. Siue ipſi opprimerent ac ſpoliarent viduas, ſiue hoc Ieſuitis impune facientibus cõniuerent, ſcelerati eſſent Principes noſtri. Et Polycarpus eſt ille Cenſor Principum qui eorum tam longè abſens ſcelera notet.

Calumnia Polycarpi in Sereniſſimos Bauariæ Principes.

De Auguſtana Repub. pluribus adhuc tecum agendum erit. Iam ſolùm quæro. Itanè tu eam quoque huius iniuſtitiæ inſimulas, quaſi Ieſuitas dominari, Ciues autem ſuos iniuſtè tractari, ædibuſque ſuis extrudi ſinant? Itanè propter Ieſuitas veterem laudem admirabilis in Ciues beneuolentię prodidit? Mentiris Polycarpe. Non permiſit Magiſtratus Auguſtanus quicquam Ieſuitis in Ciues: nec ipſi Ieſuitę quicquam egerunt iniuſtum, quin potius eius Reipub. multos Ciues magno beneficio affecerunt. Nam cùm aream ipſis liberalitate ac munificentia Illuſtris familię Fuggericę (quam nebulo iſte propter conſtantem & ardentem in Religionem Catholicam & ipſos Ieſuitas amorem, ſępius imprudenter allatrat) donatam recepiſſent; ibique Scholas, Collegium, Templum exędificaſſent; atque adhuc aliquot ędes veteres ac ruinoſę ſupereſſent, in quibus tenuioris quidam fortunę, iiq; multi homines habitarent; pro ſua ęquitate Ieſuitę multis menſibus gratis eos habitare illic permiſerunt. Deinde amplam domum ac commodam

Repellitur falſa criminatio ab Auguſtana Repub.

H ędifi-

ædificarunt, quam in hodiernum diem plures ciues, quàm olim vniuerſum ſpatium illud, vbi nunc hortus, Collegiũ, Scholæ & Templum ſunt ſita, inhabitant, cum gratia, quiete & commodo; agnoſcuntque multi quamuis non Catholici, Ieſuitas alios longè eſſe quàm à Polycarpo & ſuis quoque Prædicantibus audiant. Hæc ſi non credis Polycarpe, velim illi domui aduerſus penderes, vt ea ſenſu ſaltem perciperes, & perires.

Societas IeſuMonaſteria nõ occupat, niſi bona aut deſerta aut ſine incõmodo veterũ inquilinorum, & cum auctoritate ſacra & ſumma Poteſtatis.

De Monaſterijs, quæ Societas IESV occupat, par eſt ratio; Si diſplicet aut iniquũ videtur, iubeat ſibi Polycarpus rationem reddere Prælatos, Principes, Epiſcopos, Summũ Pontificem, quorum auctoritate tradita ſunt eiuſmodi bona Societati IESV & confirmata. Quanquam rurſum mentitur Calumniator Monachos à Ieſuitis expelli. Nõ enim niſi Monaſteria, aut loca Religioſorum deſerta Societati ſunt tradta: neq; ea, in quibus omnia vigent ac florent, vnquam expetiuerunt, aut admiſerunt; niſi fortè id libentibus & ſponte, ac in ſuum cõmodum commutantibus alijs Religioſis factum ſit. Quòd ſi etiam aliquod Cœnobium Societas habet, in quo vnum aut alterum Religioſum hominem inuenerit, illis auctoritate & poteſtate eorum, penes quos hæc iura ſunt, ita ſatis factum eſt, vt non ſolùm nihil detrimenti paterentur, ſed etiam vt commodius quàm antè, haberent & viuerent. Hęc non tui cauſa Polycarpe dico, ſed corũ, qui veritatẽ amant & cognoſcere cupiunt. Tu vix mereris, vt dicam. Mentiris Polycarpe. Scilicet vobis Sacrilegis, nec Monaſteriorũ modò, ſed quorumcunq; Eccleſiaſticorum bonorum rapacibus Miniſtris diſplicet, à Ieſuitis Monaſteria habitari: ſed cordati Monachi, potius omnia bona ſua Ieſuitis cedent, quàm vobis vel angulum vnũ, niſi fortè vel in lacu, vel in foco, vel in loco vbi crux ſita eſt, accommodent. Cætera quæ in paupertate Societatis IESV ridenda & calumnijs oneranda, nequiſſimus ſcurra deblateras, miſſa facio, ne opus fuiſſe videatur à Societate IESV depellere leuiſſimas omnes & vaniſſimas criminationes tuas. quarũ nunc illæ mihi occurrũt de Caſtitate Ieſuitarũ.

Vbi ſi vſquam aliâs toto libro non maledicentiam ſolùm tuam ſed etiam impuritatem & libidinem manifeſtè declaras. Quæ cùm ego legiſſem, illud in mentem mihi venit, quod de Nerone narrant Hiſtorici; eum propter inexplicabilem veneream intemperantiam, in eam veniſſe opinionem, neminem poſſe caſtè viuere: itaque fatentibus ſuas libidines facilem ſe, ac beneuolẽtem præbuiſſe. Quanquam quid Neronis aſſimilatione opus eſt? Clarè expreſſeque hoc profeſſus eſt Lutherus, venereas cupiditates non minus homini ingenitas atque expetendas eſſe, quàm cæteras naturæ neceſſitates: quod horrerem ego dicere, niſi etiam multò turpiora ab Hiſtorico allata eſſent. Hoc enim & ipſe Polycarpus ponit fundamentum: Caſtè viuere neminem poſſe. Ex quo fonte facile eſt animaduertere, quis torrens mendaciorum erupturus ſit in Ieſuitas, qui non ſolùm caſtè viuere hominem poſſe credunt, ſed experiri ſe dicunt; quique adeò etiam Angelicam Caſtitatem ſibi ſeruandam & imitandam proponunt: quod mirum eſt quibus iocis ac ſarcaſmis Polycarpus excipiat. Inuitus ego lubricam hanc viam ingredior de Caſtitate diſſerendi. Sed quoniam Calumniatoris in hoc crimine mirabiliter exultat oratio, & quoniam plurimi fortè Lutherana illa perſuaſione; Neminem caſtè viuere poſſe: nimis erunt credendo faciles & leues, aliquid ſanè, quantũ meus & veſter pudor patietur, dicendum eſt.

Societatis Ieſu caſtitas demonſtratur aduerſus iniquiſsimas criminationes ementitæ Hiſtoriæ. Hiſt. Ord. Ieſ. à pag. 89. vſq; ad 109. Sue. Tacit. Luth. To. 2. Ienenſ. fol. 147. Hiſt. Ord. Ieſ. 107. Fingit ex ſuo Lutheriq; ingenio Polycarpus Catholicos quaſi ſine Venere ſit impoßibile viuere.

Ac videte & diligenter perpendite, qua ego defenſione Ieſuitarum in hoc crimine vſurus ſim. Probabitis ſcio aſſentiemini, ac impuras iſtas belluas deteſtabimini. Sic autem ego ratiocinor. Si Ieſuitæ meritò ſuſpecti de libidinoſiſſimis criminibus eſſe debent: nullus eſt tanta dignitate, tanta ſapientia, tanta probitate & pudicitia, ſeu vir, ſeu adoleſcens, ſeu maritus, ſeu viduus, quem non etiam meritò Onaniticum, Sodomitam, Adulterum, vel vt minimum Scortatorem eſſe ſuſpicari poſſimus. Mira fortè & incredibilia loqui videor. At faciam planiſſimum;

Polycarpus ex doctrina Lutheri æquè omnes cuiuſcunq; conditionis ac ſexus homines, atq; Ieſuitas turpitudinis Voluptar coarguit.

Aut Societatis IESV hominibus puritatis & caſtimoniæ laudem concedendam; aut vna etiam omnibus penè mortalibus impuritatis crimen tribuendum eſſe. Eſt enim Polycarpi ſententia, cæterorumq; Prædicantium, caſtè viuere neminem poſſe, atque tam neceſſariam mortalibus Venerem, quàm Cererem eſſe. Vnicum autem & optimum caſtimoniæ, pudicitiæq; remedium eſſe in Matrimonio: quo quoniam Ieſuitæ non vtantur, inde effici, eos in cœno turpiſſimarum libidinum volutari. Non iam illud contendo, vtrum iſti Lenones vlli prudenti, ſapiēti aut honeſto viro, etiam cuiuſcunque ſectę, hanc ſuam opinionem de illa fœda & voluptaria neceſſitate perſuaſerint; ſed vt intelligatur Prædicantes omnes ac reliquos huius neceſſitatis aſſertores, palam quidem ſolos Ieſuitas ſcelerum libidinoſorum arguere; re autem vera de omnibus ſuis ſectatoribus infanda flagitia ſuſpicari. Macti vos Lutherani, veſtris Doctoribus velitis nolitis, ſecundum Lutheri fidē, Sodomitæ, Adulteri, Scortatores videmini. Non creditis. At conſiderate vim ratiocinationis meæ: Quicunq; deſtituti ſunt optimo, tutiſſimo, vnicoque perfugio pudicitiæ, eos neceſſe eſt ab obſcœnis cupiditatibus tranſuerſum agi, rapique. Ita enim ſunt animi effrænatæ appetitiones, vt hoſtes crudeliſſimi, qui ſemper in inſidijs deliteſcunt, vt incautum animum decipiant ac miſerè quodammodò dilanient. Quòd ſi nemo dubitat eo morbo cuique pereundum eſſe, aut eo veneno ſuffocandum, cuius vnica & optima medicina atque antidoto careat; non poteſt etiā incertum eſſe, quin ab ijs quiſq; perturbationibus animi, aduerſus quas ſe minimum tueri poteſt, vincendus ſit. Atqui nemo hominum eſt, cui non ſæpe eueniat, vt longo tempore, quantumcunque æſtuantibus cupidinibus, illud vnicum ac optimum Lutheri medicamentum adhibere non poſſit. Quod enim illud Polycarpeum medicamen eſt Venereæ infirmitatis, niſi illa conceſſa in Matrimonio voluptas; qua tamen quò minus legitimè frui etiam coniuges poſſint, natura, leges, cōſuetudo, mille caſus ſæpiſſimè impediunt; Concludatur ergo ratio:

Prædicātes omnes alios mortales æſtimant ſuis morib. & de libidine ſuſpectos habent.

Poly-

Polycarpe, quid cenſes de illis mulieribus, quæ ſerius nubunt; aut de illis viris, qui tardius vxores ducunt? Quid de maritis diu ac multum peregrinantibus? Quid de viduis? Quid de coniugibus, quorum alter ætate, robore, cupidine ferueat, alter ægritudine perpetua cõflictetur? Quid ſi alterutrum libido exſtimulet eo tempore, cùm mos, cùm fas, cùm DEVS prohibet, quamuis vxori cõſueſcere? Quid fiet Polycarpe? Poteſtnè his euentibus caſtitas & pudicitia conſeruari? Si non poteſt, labetur coniugum alter, vel vterque impudicitia, Adulter, Ganeo, vel Sodomita fiet: idque impunè. Nam ſine lege, ſine pœna eſt neceſſitas.

Vide mi Polycarpe: Si nemo ferè hominum eſt, quem immoderata voluptatũ appetitio non vellicet: Si tam praua animi motione non domita, in ſcelus prorumpitur. Siq; eam ſolam reprimit atque frænat amor in coniugio, qua tamen omnibus hominibus ſæpe ac diu carendum eſt. Igitur nemo erit mortalium, qui non ſæpe ac diu turpiſſimis cupiditatibus obſequatur. Imò, inquiet, ſi illo remedio optimo careat, alia adhibenda ſunt. Dixerat eſſe vnicum. Nunc admittit alia præter illud. Hæc eſt enim conſuetudo iſtorum: inter ſe pugnantia aſſerere. Quanquam habent cauſam huius inconſtantiæ. Nam ſi vnum tantùm eſt, pudicitiæ perfugium, quo Ieſuitæ non vtuntur; inde efficiunt, eos impuros eſſe: ſi plura ſint, ſperant ſe argumentum noſtrum eludere poſſe; ſed tenetur nihilominus Polycarpus. Demus enim hoc poſterius, plura eſſe libidinum remedia. Nonnè ſi ea perpetuò adhibeantur, perpetua eſſe poterit caſtitas? Si negas adhiberi ſemper poſſe, expone quæ ſint. Nam oratio, ieiunium, corporis afflictatio, cætera, ſanctis hominibus vſitata; perpetuò, aut certè quoties neceſſe eſt, poſſunt adhiberi. Quòd ſi veſtra talia non ſunt, vana ſunt; quia ſcelus non ſemper impediunt. Aut igitur caſtitas extra coniugium conſeruari poteſt, aut nemo mortalium eſt, qui non aliquando impurus ac ſceleſtus ſit. Quid hic addis Polycarpe? An ex odio Ieſuitarum omnes mortales inceſti, ſtuprorum, Sodomię condemnabis, dum ipſi Ieſuitæ tales ha-

Iterum concluditur ex Polycarpi dictis, aut neminẽ, aut Ieſuitas quoque caſtos eſſe.

beantur? An verò, ne cæteros omnes infames ac teipſum libidinoſiſſimum mortalē declares etiam Ieſuitis parces?

Eſtnè tibi tantillum ſaltem pudoris adhuc, vt minuas dicti & concluſionis inuidiam? Quod fiet ſi dicas: De omnibus quidem, qui non poſſint vacare coniugio, timendum eſſe, ne ſcelerati ſint, ſed de nullo mortalium hoc apertè dicendum aut aſſeuerandum, niſi qui in tali ſcelere deprehenſus ſit. (Proh Euangelium cuiuſmodi, quod doceat, neminem obſcœnitate libidinum abſtinere, aut earum ſuſpicionem effugere poſſe) Sed fauet tibi hæc interpretatio. Nam inquies: Nihil criminis eſt, talia de Ieſuitis ſuſpicari, quos tales deprehendit Elias. Itanè verò deprehendit? Nec ipſe Nero, ſi Ieſuitas vidiſſet, hoc crederet; nec cuiquam perſuadebis, niſi fortè libidinoſiſſimo alicui Prædicanti. Sed audi Polycarpe: Ego certò ſcio, ac manifeſtis argumentis probare poſſum, inſignem hìc iniuriam fieri Societati IESV, neque committam, vt vel tenuiſſima ſuſpicio, etiam occulti criminis, in animis legentium hæreat. Itaq; aliter tua impudentia & audacia confutanda: aliter innocentia Patrum Societatis IESV demonſtranda eſt. Tibi igitur Polycarpe, ac Eliæ tuo ſic reſponſum volo. Nequam eſt, & crucem meritus, qui tantorum criminum quenquam publicè inſimulat, niſi ea legitimè probare poteſt. Has criminationes in Ieſuitas quis probabit Polycarpe; Tunè ſceleſte, qui parum liquido probare poſſes, te Sodomitam non eſſe? An ille nefandus Elias? At iam perijt, poſtquam Ieſuitis attribuit, quæ in ſeipſo fortè impuriſſimus expertus eſt. Etenim ſecundum fidem fortaſſis eius accidit, vt caſtè non viueret, qui poſſe ſe non putaret, neque Ieſuitarum remedijs vteretur. Et neſcio quomodo illa rabioſa eius mors, & illi æterni ignes, quibus meritò cruciatur, eius impuritatē vrere mihi videntur. Tu, Polycarpe, ſi demonſtres Eliam caſtum fuiſſe, ego eum inter beatos fortaſſe numerabo, non damnatos. Nemo vnquam, qui caſtè viuere vellet, à Religione Catholica aut ſtatu hominum Religioſorum defecit; Imò rectè ſentiunt, qui dicunt, ſolam ferè libidinis ac

Facile eſt cuilibet hoſti de hoſte crimina fingere, ſed probare difficile.

Veneris

Veneris explendæ cupiditatem Religioſos Cœnobijs & Collegijs expellere.

Porrò non deſunt alia argumenta innocentiæ ac puritatis Ieſuitarum: quæ ſanè apud omnes homines honeſtos & ſapientes maximam vim habent. An cuiquam enim poteſt eſſe probabile, eos, qui propter inſignes animorum, corporúmq; dotes florere poſſent in politijs Rebusq; pub. ac omnibus delicijs diffluere, adeò ſceleratos eſſe, vt malint inter Ieſuitas, quibus ſe aggregarunt, horrendis & abominãdis criminibus ſeſe obſtringere, quàm licitis frui inter honores & amicos voluptatibus? Quàm multi ſunt, qui cum etiam cõmuni hominum vita ſanctiſſimè, caſtiſſiméq; vixiſſent; in Societatem Ieſu, vt ad culmen Chriſtianæ virtutis & perfectionis aſcenderent, ingreſſi ſunt. Et eſt quiſquam tam improbus, qui ſuſpicari audeat, tales aſperius vitæ genus ſuſcepiſſe, bonis ſe ac dignitatibus abdicaſſe, & quaſi in voluntariam ſeruitutẽm tradidiſſe, tãtum vt Sodomitæ fierent, ſceleraq; perpetrarent fulmine cœleſti vindicanda? Nihilnè ſumma, in ſomno cibo & potu temperantia? Nihilnè perpetuæ ad virtutem exercitationes, quibus corpora ad omnem patientiam durantur? Nihilnè conſtantes ac grauiſſimæ occupationes; Nihilnè animi intenſio, quanta maxima eſſe poteſt in literarum ſtudijs? Nihilnè ſacrarum literarum & librorum lectio? Nihilnè diſciplina Religioſa? Nihilnè orationes ac preces quotidianæ & ſtatæ? Nihilnè timor DEI, aut æterni ignis apud Ieſuitas proficiat, quò magis caſtè, aut æquè ſaltem atque cæteri mortales, viuere poſſint? Nam ſi vllum hominum genus eſt, quod iſtis tam efficacibus ad puritatem mentis & corporis conſeruandam medijs ſapienter ac efficaciter vtatur, Societati Ieſu hoc inprimis tribuendum eſt, quippe quæ ijſdem rationibus innumerabiles & adoleſcentes & viros & fœminas à turpitudine ad puritatem & caſtimoniam aſſuefecerit. Scilicet, tanti Ieſuitæ ſimulatores ſunt, vt tam atrocia & inaudita flagitia ſoli cælare poſſint, & perpetuò ac cõſtanter ſimulare ſanctimoniam, cùm vita factiſq; ſint nequiſſimi & impuriſſi-

Multa ac magna argumẽta Ieſuitarũ caſtimoniæ.

puriſſimi. Sed iam me piget longiore oratione horum ſcelerum ſuſpicionem à Societatis IESV Patrib. amoliri. Nemo enim tale quicquam ſuſpiciatur, niſi qui ipſe ſceleratus ac nequam eſt, & ſuis moribus cæteros æſtimat.

Fabulæ quædam immanes & inanes tamen de Societate Ieſu confictæ.

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 101. & 102.

At nondum defungi poſſum hoc labore: Aliud enim hæc hydra caput nũc exerit veneno tumidum & calumnijs turgens. Decantat quædam flagitia libidinoſa Ieſuitarum, & ne ipſe ea confinxiſſe videatur, loca nominat, in quibus caſtitas Ieſuitarum egregiè prodita ſit. Monachij ſcilicet, Auguſtæ, Landſpergę, Dilingę, Ingolſtadij. Inſinuat autem veteres quaſdam fabulas ad inuidiam Ieſuitis faciendam à ſimilibus Polycarpo & Eliæ nebulonib. olim ſparſas, quas Patres Societatis IESV etiam publicis tabulis Principum ac Rerum pub. confutare poſſunt; quas ſi protulerint, legitimo Iuris proceſſu Polycarpus exauctorabitur, & Calumniator ac nebulo declarabitur: quamquam nihil infamiæ tam impudenti Calumniatori accedere poteſt. Quod ſi neget illas obſoletas afferri, ſed certas narrationes, manifeſtum eſt, eum impudentiſſimè mentiri: & antequam vel vllam earum partem probet, vitam per ſcelus potius amittet. Illa autem indigniſſima calumnia eſt, quòd nominatim quoſdam Societatis IESV Patres, viros doctos & graues criminetur, tanquam in flagitijs deprehenſos, quibus tamen innocentiæ teſtimonium præbent, quotquot eos nouerunt, aut in locis, in quibus perpetrata dicuntur, vixerunt. Et quidem ne parum audax ſit, duos Theologos criminatur, viros integerrimos atque doctiſſimos, ac cum ijs Perſonas illuſtres, quæ ſi iniuriarum Polycarpũ reum agent, ſentiet ille quàm non expediat, ita liberè quemq; calumniari; Et ex multis tandem aliquem inueniri, qui etiam omnium reliquorum iniurias vindicet. Vnus eſt (quãtum exacta diſquiſitione adhibita intelligo) ex omnibus, quos tu, impuriſſime Polycarpe, perſtringis, cuius ipſi Ieſuitę fatẽtur mores lapſos eſſe ad libidinem, ſed eo ipſo indignum eſſe ſua Societate iudicarunt, & Collegio exturbârunt. Fuit autem is homo ſine literis, domeſticis tantùm munerib. obeũdis

Hiſt. ord. Ieſ. pag. 100. 106.

deſtina-

deſtinatus. Quòd ſi in tanta hominum multitudine aliquis ſimulator, aut peruicax, aut negligentior in diuino cultu ac obſeruatione legum Religioſarum tandem erumpit in aliquod flagitium, non ideò ipſa tota Societas, vel eius etiam notabilis pars vituperanda, ſed huius ſcelus deteſtandum eſt, quod magis Ieſuitæ faciũt, quàm vlla hominum natio, quippe qui ſimiles ſtatim vt membra putrida à toto corpore abſcindant; idque ſapientiſſimè: quoniam gnauiter impudentem, nec conſuetudine ac familiaritate reliquorum dignum iudicant, qui ſemel verecundiæ fines ita tranſierit, vt ſcelus aliquod tale committeret, quamuis vnicũ. Atque hîc multa & magna tua mendacia recẽſere poſſem, quibus tu vnius hominis ex tot millibus peccatum auges, vt Ieſuitis omnibus odium concilies: niſi fortè ideò id feciſti, vt ne hoc quidem, quod verum eſt peccatum, verè narrares, atque adeò illud obtineres, ne videreris vlla veritate vſus.

Ieſuitarum transfuga & apoſtata fiunt Hæreticorum Apoſtoli.

Quanquam ſi ille, quantumuis Cocus, ad te tuoſque Polycarpe clàm transfugiſſet, etiamſi millies Adulter fuiſſet, vos eum Caſtitatis amantem pronunciaſſetis, dummodò clauſtra pudicitiæ ita perfregiſſet, vt omnem ſibi ad Caſtitatem tuendam aditum præcluſiſſet. quin fortè etiam inter Collegas veſtros & præcipuos quidem eum numeraſſetis. Ita enim comparati eſtis, vt, ſi quis ex ijs, qui caſtitatẽ profitentur, ſemel lapſus ſit, non ſolùm flagitium exclametis, ſed ipſam etiam Caſtitatis profeſſionem, ac omnes eiuſdẽ Ordinis homines cõuitijs ac maledictis inſectemini; quòd ſi verò ſe ad perpetuum adulterium obliget, tùm vobis caſtus, & purus, & ſanctus eſt; illumq́; inceſtum ac adulterium honeſto Coniugij titulo velatis Venerij Miniſtri, Tu, inquam, Polycarpe, & tui Tubingenſes; qui ſcelus veſtri dogmatis in nos Catholicos malitioſiſſimè detorquere conamini: dum ſemper clamatis, Ieſuitas ac Catholicos docere: Minus peccatum eſſe Sacerdoti aut Religioſo cum meretrice conſueſcere, quàm Vxorem ducere. Hoc agitis nequiſſimi, vt rudib. ac nimium credulis perſuadeatis, nos

Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 107

Explicatur an & quomodo dicatur à Catholicis, minus flagitiũ

eſſe, ſi quis DEO per votum, vel per ſacros ordines, dicatus, concubinam alat, quàm ſi matrimonium contrahat.

Polycarpus non tam flagitioſus eſt, ſi pellicem alit; quàm ſi duas ſimul vxores habet.

docere: peccatum eſſe, Vxorem ducere: Mētimini, calumniamini. Audi, impure Polycarpe. Tu vxorem habes: Eam igitur tibi ſuperſtitem certò futuram (quòd, ſi importuna eſt, & malè te tractat, Dij faciant) teque cum illa nunc pellicem alere, faciamus: dicamusque: Minus ſcelus eſt, Polycarpum pellicem illam tenere loco pellicis, quàm vt eam Vxorem ducat, viuente ſcilicet adhuc altera. Quid reſpondes? Falſumnè his verbis pronuncio? An coniugiū ſacrum reprehendo? Et quænam cauſa: Cur hoc dictū nullus improbare audeat; Præſtat Polycarpum cùm ita libidinoſus ſit, pellicem cum vxore habere, quàm vxores duas? Certum inprimis eſt, neminem hoc modo laudare Polycarpi pellicatum, ſed inter ipſa ſcelera ſolùm comparationem fieri, vtrum ſit minus execrabile, quantumuis vtrumque deteſtandum ſit. Deinde, quia fieri nō poteſt, vt pellex viuente priore coniuge, vera vxor fiat Polycarpo; ſi tamen fidem pellici det Polycarpus, tāquam vxori, ad perpetuum quaſi adulterium ſe aſtringit; atque ideò minus ſcelus committit, ſi pellicem nō tanquam Vxorem, ſed tanquam concubinam habeat. Nam quamdiu pellex inhoneſtū nomen retinet, etiam leuis cauſa permouere virum poteſt, vt eam eijciat, ſi verò fide quaſi maritali ſe aſtrinxerit, fortius ad ſcelus alligatus eſt. Similis ratio eſt, cùm dicitur: Minus flagitium eſt, ſi ſemel ſtuprū à Sacerdote vel Religioſo commiſſum ſit, quàm ſi vxorem duxerit. Nam qui Sacerdos, aut Religioſus, aut DEO votis obſtrictus eſt, is vxorem ducere poteſt non magis, atq; ille vxores duas qui vni iam per matrimonium legitimè coniunctus eſt. Itaque ſi hoc, quod facere non poteſt, tentet nihilominus; graue ſcelus committit, eo ipſo quòd fide quodammodò maritali data, ſe ad perpetuum cum illa muliere inceſtum obliget. Quantum igitur intereſt inter eum, qui ſemel atq; iterum incontinentia quadam peccat, eumq; qui de ſcelerata vita perpetuò agenda, ſciens volens cum altero paciſcitur: tantum intereſt inter eū, qui ſacris initiatus ſemel atq; ſæpius lapſus eſt; & eū,

qui

qui ſacris initiatus vxoris etiam loco concubinam habet, atque fide ſe erga eam quaſi maritali obſtringit. Quare ſceleratus Polycarpus, qui Catholicis affingit eam ſententiam, quaſi ſtupra & adulteria legitimo præferant Matrimonio, cùm id nulli vnquam Catholicorum in mentem aliquando venerit. Sed illud falſum eſſe cõtendet: Eos qui ſe DEO ſemel voto caſtitatis aut ſacrorum ordinũ obſtrinxerint, matrimonium inire non poſſe. Verùm ſi hanc ſolam doctrinam reprehendere voluit, ea illi confutanda erat: non autem tam apertè & nefariò Catholicis affingendum, ſcelera eos Matrimonio præferre; cùm & pellicatum & falſi nominis Matrimonium in Sacerdotibus ac Religioſis deteſtemur. Neq; verò vnquam, cùm inter hæc peccata comparatio fit, quia alterum minus turpitudinis habere dicitur, ideò alterum tanquam pulchrum ac rectè factum extollitur. Neque enim ſi Polycarpum Schmidelino, aut alicui Calumniatori conferrem, concluderemq; omnib. ſcurris & Calumniatoribus audaciorem ac nequiorem, ſtultioremq; eſſe Polycarpum, ideò cæteros laudatos vellem. Sed vt redeam vnde digreſſus ſum. Vos eſtis, vos improbi, impuriq; Pręedicantes, qui lapſus ac peccata Religioſorum ſic exaggeratis, quaſi propter vnius peccatum omnes ſint execrabiles ac deteſtãdi. Quanquã hi ſunt genuini ac germani mores Maiorum veſtrorum; Nam ad quid aliud ſedent iſti, (inquit S. Auguſtinus) quid aliud captant? niſi vt quiſquis Epiſcopus vel clericus, vel monachus, (vel Ieſuita) vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed nõ omnes poſſe manifeſtari. Et tamẽ etiã ipſi cũ aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciũt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum aũt de aliquib. qui ſanctũ nomen profitẽtur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit vel veri, patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnib. hoc credatur. Verùm

Auguſtin. epiſt. 137.

ſi ex illis aliquid ad vos, periuri & fœdifragi, per ſummū ſcelus perfugiant, & vſque ad finem vitæ in inceſtu viuant, hi vobis ſancti caſtiq; ſunt, & Apoſtoli fiunt Euangelij ſecundùm Lutherum, cuius tota ſumma eſt in eo præcepto implendo & imperando: Creſcite & multiplicamini. Sed iam erubeſco vel cogitando impuriſſima veſtra dicta ac facta.

Multi, de Patrib. Societatis Ieſu fingūt, quæ vellent eſſe vera.

Quod ad Patres igitur Societatis IESV attinet, eos puriſſimæ & innocentiſſimæ vitæ eſſe, nemo dubitauit vnquam, exceptis ijs, quibus veſtris vos impoſuiſtis calumnijs ac ijs etiam, quibus prodeſſet minus Ieſuitas caſtos eſſe. Tales autem ſunt homines ſcelerati & libidinoſi, quorum impuritas tantæ Ieſuitarum caſtitati oppoſita maior & fœdior apparet. Tales ſunt præcipuè Prædicantes, qui vident Ieſuitas hac excelſitate animi, qua omnes etiam conceſſas voluptates ſpernunt, auctoritatem obtinere maximam ad perſuadendum puris ac caſtis hominibus fidem Catholicam.

Bauaria Societati Ieſu de vitæ puritate teſtimoniū præbet.

Hiſt. ord. Ieſ. pag. 101

Illud prætereà ſatis mirari non poſſum, perditiſſimum Calumniatorem præter cæteras prouincias Bauariā adeò exagitare. Audet enim, ſed quid non audet? ſine rubore dicere, in Bauaria maximè Ieſuitarum libidines eſſe cognitas & manifeſtatas: quod mendacium tota Bauaria vna voce, ſi loqueretur, refelleret. Imò Bauaria vel hoc nomine Ieſuitas ardentiùs complectitur & teneriùs amat quod caſtiſſimam eorum vitam cognoſcat & admiretur. Certè Ingolſtadij tot iam annos verſor, vbi plures ſexaginta Ieſuitæ habitant, adoleſcentes ac viri. DEVM teſtor, nunquam vel tenuem ſuſpicionem vllius libidinis aut ſceleris de Societatis IESV Patribus extitiſſe. Cuius rei teſtimonium quoq; dabunt, qui vnquam ab eo tempore, quo hîc Societatis IESV Patres cogniti ſunt, literis in Academia noſtra nauarunt operam, quorum eſt magna & innumerabilis multitudo, non Catholicorum ſolùm, ſed etiā Lutheranorum, diuerſarumque nationum hominum, qui omnes cùm hæc Polycarpica legent vel audient, Polycarpum ſcelerum & menda-

mendaciorum condemnabunt. Nihilominus audet hic effrons Prædicans Ingolſtadium totamque Bauariam, tanquam Societatis I E S V libidinibus ac ſceleribus contaminatam mendaci hiſtoria euulgata, velut in Orbis theatro, accuſare. Quanquam fuit hic etiam priſcorum hæreticorũ mos, ſanctiſſimos viros & Catholicæ fidei defenſores, ſimilium criminum, nempe ſtuprorum ac libidinum compoſitis technis ac fraudibus apud populum Criſtianum accuſare. Sed ſentio quam rem agant. Inuident iſti nebulones, Virtutis ac Veritatis hoſtes, pacem ac quietem Bauariæ: ringuntur quòd in ea cùm multorum aliorum doctiſſimorum, ſapientiſſimorum, ac religioſiſſimorum hominum, tùm etiam Ieſuitarum opera Catholicam Religionẽ florere conſpiciunt: dolent vehementer, ſibi in ea nullum locum eſſe non modò Patribus Societatis I E S V, ſed plurimis alijs eruditione, dignitate & auctoritate clariſſimis viris tanquam vigilantiſſimis Cuſtodibus monentibus, & arcentibus iſtos lupos Euangelicos & Polycarpi ſimiles; ideò cùm aliter patriam noſtram infeſtare non poſſint, & apud Bauaros, Ieſuitas, & Bauariam apud cæteros infamem reddere tentat: Sed gaude fœlix Bauaria, quæ hos inimicos nacta es. Fœlicem Germaniam noſtram, ſi eadem vbiq; quoad pacem & Religionem, condicio ac ſtatus eſſet, quæ eſt in Bauaria. His calumnijs præterea tùm ipſis Sereniſſimis Bauariæ Principibus, tùm omnibus Magiſtratibus illorum locorum, in quibus ſcelera talia perpetrata confinguntur, infamiæ labẽ aſpergere conatur Polycarpus, vt videantur Sereniſſimi Bauariæ Principes, & omnes, qui in ea Magiſtratus obeunt, fauere ſceleribus & libidinibus obſcæniſſimis. Quod vtinam altius perpenderent omnes ſapientiſſimi etiam aliarum ciuitatum ac prouinciarum Gubernatores; & calumnias, (quæ illis ab his proteruis & effrontibus criminatoribus, dum Ieſuitas inſectantur, impinguntur) maioris æſtimarent. Efficerent ſine dubio, vt tandem aliquando iſtis improbiſſimis calumniatoribus illa licentia quiduis flagitiorum cõminiſcendi eriperetur, ac in vno

Theodor. lib. 1. ca. 30, & li. 3. c. 8.

Bauariam vehementiſſimè oderũt omnes Prædicantes.

Impunitas calumniatores facit audaciſſimos.

exemplum ſtatueretur, ne tam dulce & glorioſum videretur, Calumniatorem agere.

Calumnia de Caſtitate inter ſe contraria. Iam pridem conor emergere ex hoc cœno impuriſſimarum calumniarum Polycarpi. Sed illud tamen etiam in his calumnijs, quas contra Ieſuitarum caſtitatem effudit, adhuc conſiderandum eſt: In nullo ferè alio vitio, cuius infamia Societatem I E S V notare conatur, tam pugnantia inter ſe eum ſcribere & mētiri. Narrat enim inprimis Ieſuitis legem eſſe, vt beatarum mentiū ac Angelorum puritatem æmulentur. Deinde eos mulierum conſpectum, colloquia, familiaritatem vitare: nunquam ſine arbitris cum eis agere. Et ſi qui ſecus facere deprehendantur, vt vel verbulo, vel obtutu obſcœno peccaſſe videantur, eos pœnas dare: Temperantia ac Sobrietate, & ſi vehementior ſit ęſtus, etiam ieiunijs, cilicijs, flagellis, quandoque etiam pharmacis ac venenis cupiditates frænare; quoſdā etiam ſibi ipſis manum adferre. Nondum ego aſſero, quàm ſint hæc vera: neq; quatenus frænare atq; euellere ſoleant Patres Societatis IESV cupiditates prauas ex pectoribus ſuis. Sed eſtnè vllus hominum, ſenſus mentiſque compos, qui talia facientes credere poſſit, omnium mortalium libidinoſiſſimos, & in Venerem illicitam promptiſſimos ac ſceleratiſſimos eſſe. Itanè verò quę ad conſequēdas Virtutes ſunt inſtituta, eadem incitamenta præcipuè ſunt vitiorum? An neque diſciplina hæc, nec inſtitutio ſatis momenti habet ad domandos inſultus huius peſtis? Et vndenam ſolis Ieſuitis tam effrænata & indomita natura? Certè ingenui ſunt homines & magno numero honeſtiſſimis ac nobilibus familijs prognati? Sed murmurantem audio Polycarpum iniuriam ſibi fieri, quaſi eius dicta inter ſe non conſtent. Hanc enim diſciplinam ad extinguendos libidinis æſtus inſtitutam, ſeruitutē quandam eſſe, qua premantur adoleſcentiores, atque adeò *compulſam eſſe illorum caſtitatem.*

Sed nonnè hæc eſt magna verborum inconſtantia? Nūc vocat Ieſuitas hominum omnium libidinoſiſſimos: & ita loquitur, quaſi neminem excipiat: Deinde narrat, quod ad

Caſtitatem ſuos ipſi acerbiſſimis remedijs cōpellant. Tùm
quòd alij ex illis, vt caſtitatem ſeruent, ſibi vim adferant,
ſeque ipſos caſtrent. Alias quòd ſe valdè caſtos ſimulent.
Iterum quòd publica flagitia perpetrent. Præterea illa mi-
hi inter ſe componat aliquis: Ieſuitæ ſuos homines ad ca-
ſtitatem compellunt, nec videre, nec audire volunt, quæ li-
bidinem incitare poſſunt: Et, inter prandia, cœnaſque ſuas,
amatoria carmina cantari iubent, idque loco pœnitentiæ:
Ijdem ſcilicet, quibus non graue eſt amore caſtitatis pœnas
ſponte ſubire, poſteà turpitudinum irritamenta ſectantur.
Certè nec vidi, nec audiui, qui magis ſuis calumnijs calum-
niando contradiceret. Ac venit mihi in mentem ſubtime-
re, ne odio Ieſuitarum, ſibi ipſi quoq; aliquando vim & ma-
nus afferat Polycarpus, quoniam non veretur propria ſua
mendacia alijs mēdacijs coarguere. Quàm multa enim cre-
ditis in ijs, quæ ex hiſtoria inſinuaui, latere mendacia?

Patres Societatis Ieſu meritò Angelicam æmulari puritatem.

De imitanda Angelica caſtitate, quid habet, quod rideat?
Nonnè Chriſtus ad eam nos quoque inuitare videtur, cùm
inſinuat, eos qui neque nubentur, neque nubent, fore ſimi-
les Angelis DEI? Nonnè caſtitatis perpetuæ ſtudioſos, An
gelis aſſimilant Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, ve-
teres ſancti, Catholiciq; Doctores penè omnes? An quibus
beatarum mentium proponuntur præmia, ijs nefas eſt An-
gelorum virtutes ac decora æmulari? Quid? Nonnè Serua-
tor noſter ad ipſius DEI Omnipotentis imitationem nos
prouocat? Nonnè miſericordes, imò perfectos eſſe iubet,
ſicut Pater noſter cœleſtis, miſericors & perfectus eſt? Vtrū
tibi videtur, Polycarpe, difficilius, Angelicam an Diuinam
Naturam moribus exprimere? Sed nihil mirum, ſi Ange-
licam ludibrio habeat puritatem, qui Diabolicam ſectatur
nequitiam.

Matth. 22. Ambroſ. in lib. de Vid. Aug. ſerm. 249. de Caſtitate, & cōtinentia. Hieronym. epiſt. 8. 11. Matt. 8. 22.

De mulierum conſortio, conſpectu, & familiaritate vi-
tanda, ſi Polycarpo reſponderem, quod Cato iactare ſole-
bat: Si vita noſtra poſſet eſſe abſq; mulieribus, tunc etiam
nō eſſet abſq; DEO: rideret, Stoicum me profiteretur. Sed
quid? Nonnè grauiſſimè, copioſiſſimeq; ſanctæ literæ mo-
nent,

Societatis Ieſu Patres nō aliter vitant conſortium cū mulierib quā ſecundū ſcripturæ & ſanctorū Patrū doctrinam.

nent, omnibus viris periculoſum eſſe, etiam contueri curioſius fœminas, nedũ alloqui, & familiares habere? Nonnè ſanctiſſimi viri etiam videndo perierunt? Nonnè ſolo oculorum obtutu animus grauiſſimis adulterij, ſtupri, inceſtus criminibus commaculari ſolet? ſcilicet illud præceptum: Ne reſpicias in ſpeciem mulieris: ſuperuacaneum Polycarpo eſt. Et inutilis illa regia precatio: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Illud autẽ Iobi conſilium planè ſtultum Polycarpo videbitur: quando pepigit fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidẽ de Virgine. Nonnè ſanctiſſimi viri etiam cum propinquiſſimis mulieribus nec ágere, nec viuere voluerunt? Verùm iſti omnes ſunt his nebulonibus libidinoſiſſimi, quemadmodum Lutherus de S. Hieronymo non veretur, impuriſſimus Ganeo dicere. Vt penè mirari deſinam Ieſuitas illis lenonibus non videri caſtos, quibus etiam ſancti Patres, quòd mulierum conſortia vitauerint, libidinoſi videntur.

Eccl. 9. 22.
Pſalm. 118.
Iob. 31.
Vt de Auguſtino memorat. Gregor. in Reg.
Tom. 2. in lib. in quo redduntur rationes deſertorum à monialibus monaſteriorum: & in Colloquijs conuiualib. fol. 311. 322 333.

Porrò illud admodum eſt puerile & ridiculum, quòd totum ſexum muliebrem in Societatem IESV concitat: aut propterea, quòd nonnulli ex Ieſuitis matribus ſuis non ſint obſecuti, ſed contra earum voluntatem in Societate IESV perſeuerauerint: aut quòd cogitationes de mulieribus non minus interdum, quàm ipſam cum eis familiarem conſuetudinem auerſentur. *Ieſuitæ,* inquit, *ita ſuos erudiunt: Si tibi ſecularium mulierum amor obrepit, cogita ſatanam ſeu ſerpẽtem tecum loqui, vt cum Eua, non vt ſalueris, ſed vt damneris. Tandem ſi mulier tibi occurrit, oculos auerte, ſi te alloquitur; dic: Vade poſt me, Satana: Mulier, quid mihi tecum? &c.* Non hîc diſputabo, quam verè iſta Ieſuitis tribuas. Sed quæſo te, mi Polycarpe: Si Adam veniente ad illum Eua, pomumque porrigente, oculos auertiſſet, aut ei dixiſſet: Vade poſt me Satana. Quid mihi tecũ mulier? Num, magnam Euæ iniuriam feciſſet? An non hac ratione & ſeipſum & totum genus humanum conſeruaſſet? Quid ſi ergo alicui aſpectus, colloquium cum muliere ſit incitamento ad peccatum? An non auerſabitur? An non fugiet? Sed inuertamus verba Polycarpi: ſi impium eſt occurrente aliqua muliere

Polycarpus Mulieroſus Prædicans ſtrenue pro mulieribus pugnat.
Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 105.

liere oculos deijcere, & eam inſalutatam prætermittere: aut ſi cùm ad amorem illicitum alicuius fœminæ quis illicitur, nequaquam dicere debet: Vade poſt me Satana; Vtamur igitur ratione contraria; ex diſciplina Polycarpi ſcilicet: Oculis nictibus, blandiamur, ſermones miſceamus: Sed pudet plura. Videtiſne quomodo lenones iſti ſtupra ſuadeant; & cum quauis fœmina, ne inhumani videantur, libidines? O ſcelus & portentum in vltimas terras deportandum.

Porrò ita quoque Ieſuitas calumniatur Polycarpus, quaſi totum ſexum excluderent ab hæreditate vitæ & ſalutis æternæ. Quod impudentiſſimum mendacium eſt, & vel ea re ſatis confutatum. quòd Ieſuitæ cum tota Eccleſia Catholica vnam fœminam omnibus viris, qui ſunt, fuerunt, & erunt, vno excepto, anteferant: quòd tot Virgines, tot Martyres fœminas, tot Viduas atq; etiã maritatas multas inter beatas numerent, colant, & in vota vocent, ſtatis honorib. ac precibus. Sed ideò hanc fabulam comminiſcitur, vt conclametur contra Ieſuitas. Itaque tanquam Fecialis bellum iam mulieribus indicit, eaſque armat in Ieſuitas. *Digni*, inquit, *ſunt, qui à ſexu fœmineo non modò ſibilis, ſed etiam crepidis & fuſtibus, tanquam ingrati cuculi, & communis vitæ hoſtes excipiantur, explodantur & eijciantur.* Quàm copioſus ac diſertus eſt? Graue ſanè bellum & diuturnum Patribus Societatis imminet. Præclarè Polycarpus. Cùm iam omnes Hæretici operam dent, vt aliquid turbent, & quietos altaque pace fruentes in arma vocent, eam quoq; gloriam vult adipiſci. Credo inuidet illam laudem Luthero ac Munzero, qui belli Ruſticorum Duces, auctoreſque fuerunt. Ipſe noui, & poſt deletas Amazonas, inauditi exercitus Dux, bellum & aciem muliebrẽ inſtituit, militeſque ſuos crepidis & fuſtibus armat: ſiue quòd Ieſuitas ſeruis illis æquales cenſet, quos Scythæ ſcuticis tantùm in poteſtatem redegerunt: ſiue quòd hæc arma, mulieroſus miles, nunquam in militia (niſi fortè Venerea) ad laborem & patiẽtiam exercitatus; & à Iunone ſua ſæpius forſan crepidis ac fuſtibus pulſatus, maximè timet. Nam & pueri nul-

Tota Eccleſia Catholica ſexũ fœmineũ quoad omnes virtutes & beatitudinem conſequendam nulla parte deteriorem virili æſtimat.

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 105.

Polycarpus Dux Amazonum, crepidis ac fuſtibus armatarum.

lum ſupplicium, virgarum pœna, quam ſolam ſunt experti, acerbius æſtimant; vt non mirum ſit futurum, ſi cum nulla verbera, quam crepidarum & fuſtium magis horreat effœminatiſſimus Polycarpus, eadem Ieſuitis exoptet; Verùm nihil hæc tela terrent Ieſuitas homines conſtantiſſimos ac fortiſſimos, qui neq; virorum minis, nec gladio ac alijs ſupplicijs terrentur, parati ſemper pro fide ſua Catholica ſanguinem fundere. Itaq; vereor ne tuus exercitus, vbi Ieſuitarum expertus fuerit conſtantiam ac robur, te, Polycarpe, ſemiuirum ſuum Ductorem, loco Ieſuitarum adoriatur, pulſet, aut fortè etiam, quemadmodum Bacchæ Pentheum, aut Orpheum Thraciæ mulieres dilaniet.

Graues & caſtæ fœminæ nõminus virorũquorumcunque familiaritatem, quàm Ieſuitæ mulierum vitant.

Quid quòd nullam caſtam aut grauem fœminam inuenies, quæ ſub tali hirco, qualis tu es, ſtipendia facere velit? quodq; etiam ſentiant ſapientes & bonæ, rectè ſapienterq; facere Ieſuitas, dum puritatem æquè mentis ac corporum, oculorum ac cogitationum conſeruare ſtudent? Nam ex ſacris literis doctæ, & diſciplina graui & ſancta edúctæ, norunt, ſibi periculoſam virorum familiaritatem, & ſuam quoque viris quantumcunq; ſanctis ſæpius exitioſam eſſe. Verùm Polycarpo id euenit quòd ijs, qui ſordidiſſima opificia tractãt, in quorum officinas ſi quis ingreſſus, fœtorem abhorreat, aut nares occludat, mirantur ac rident, interdum etiam indignantur. Illis enim iam aſſuetis, etiam ſordidiſſima, non ingratum ſpirant odorem: Sic quoq; Prædicantibus ac petulcis Euangelij Miniſtris inter fœminarũ greges & cathedras perpetuò, effœminati Herculis exemplo, deſidere, colum ſæpe tenere, ac imperio muliebri ſubiacere, amatoria loqui, canere, agere, aſſuetis; indignũ videtur, ſi cui iſtæ cõſuetudines & libidines diſpliceant; aut ſi excelſioris quis animi voluptates has impuras contemnat ac deſpiciat. Nã cùm habeãt ora, manus, oculos plenos, vt

2. Pet. 2.

ait S. Petrus, inceſſabilis delicti, conſuetudine ſenſum amiſerunt, vt neſciant, aut diſſimulent certè, quantis ſe flagitijs impuratæ belluæ cõtaminent. Scilicet vt apud AEthiopes candor, ſic apud Prædicantes caſtitas & puritas in vitio eſt.

Porrò

Porrò quę de ratione vincendi ac retundendi improbos animi motus ineptè ac intricatè Polycarpus narrat, ea neq; vſquequaq; vera ſunt, neq; meritò ab illo reprehenduntur: quod ſatis oſtenderem, niſi ſperarem omnes, qui hæc cogniturí ſint, puriores fore Polycarpo, atq; adeò facilè probaturos Ieſuitarum contra ſcelera pugnandi rationem. Quanquam illud improbiſſimè mentitur Furcifer, venenis ac pharmacis Ieſuitas vti, vt ęſtus cupiditatum extinguant: ſicut etiam turpiſſimè mentitur, quenquam ſibi manus attuliſſe, aut Origenis factum æmulatum eſſe. Conficta enim eiuſmodi ſolùm ſunt, ex inexplicabili illo odio in Ieſuitas, quod velut ſæuus quidam mendaciorum turbo magnam calumniarum molem in Ieſuitarum nomen & famam deuoluit. Verùm patiamur has calumnias, ſua ipſarum vanitate & leuitate euaneſcere. Ego quidē ita mihi perſuadeo, Societatis IESV caſtitatem in poſterum maiore quàm hactenus gloria apud puros ac prudentes celebratū iri: quòd ex hac hiſtoria ſint animaduerſuri tam diligentem, tam audacem ac improbum Calumniatorem, nihil inuenire potuiſſe, cùm omnes etiam angulos Ieſuitarum vitæ & doctrinæ excuſſiſſet, quod alicuius libidinoſi flagitij notam ipſis inureret. Ipſe autem Elias cum Polycarpo, ſuo hoc tanto, ſed irrito conatu id aſſecutus eſt, vt videatur omniū mortalium ſpurciſſimus fuiſſe, & ſua fortè crimina ſub Ieſuitarum nomine declarare, ac ſeipſum tam turpium & obſcœnarum rerum commemoratione delectare voluiſſe.

Multa pſtu dobiſtoricus mentitur de ratione tuendæ caſtitatis in Societate IESV.

Æternum autem conſtabit Societatis IESV hominibus illa ſingularis & admirabilis laus puriſſimæ & caſtiſſimæ vitæ, quam peculiari quodam DEI fauore atq; auxilio, ita fœliciter ac faciliter agunt, vt nō ſolùm nulla vllius criminis, ſed neq; vehementioris pugnæ, neq; turpioris appetitionis, etiam in florētiſſima multorum ætate ſit ſuſpicio, atq; adeò vt omnes quaſi fibras cupiditatum ex animis ſuis euulſiſſe videantur. Quare ſiue quis ex ipſius Societatis IESV Patribus, diuinū in ſe ſocioſq; beneficiū admiratus;

Societatis IESV homines non ſolùm fœliciter, ſed facibiter caſtitatem tuentur.

 ſiue

ſiue quis alius ex Catholicis huius caſtimoniæ veluti precioſiſſimi floris pulchritudine & ſuaueolentia captus, tantam caſtiſſimorum iuuenum ac virorum in Societate multitudinem, terreſtrium Angelorum nomine dignatus eſt, is mihi, omnibuſque Caſtitatis ac Societatis IESV amantibus aptiſſima veriſſimaq; ſimilitudine videtur vſus eſſe.

De virtute Obediētia, quam præ cæteris colit Societas IESV.

Nondum vllum calumniarũ in vitam Societatis IESV inuenio exitum. Plura adhuc latent, quæ ſunt euoluenda. Ac vererer quidem, ne moleſtior viderer oratione longiore, niſi conſiderem à pleriſque qui hæc legent, vel audient; & veritatem & Societatem IESV amari. Quod ſi quem etiam hęc non delectent ob ipſos Ieſuitas, à quibus fortè propter aliam, quam ſequitur, ſectam eſt alienior: is ſaltem ne aut calumniator ſimilis Polycarpo, aut facilè mendacijs credendo, leuior exiſtimetur; hæc quæ adhuc dicenda ſunt, beneuolus accipiat. Ex votis illis, quibus ſe ſancta IESV Societas Deo ſponte in perpetuum conſecrat, eſt quoq; illud, quod obedientiæ vocant, quo ipſo quaſi propria voluntate ſe abdicant Ieſuitæ, & aliorum, quos loco Chriſti Seruatoris ſui habent, ſe dedunt prudentiæ gubernandos; ita, vt de ſeipſis quodammodo parùm vel nihil ſoliciti, omnem illam curam DEO ac Moderatoribus ſuis relinquant: atque adeò nec in ſtudijs literarum, nec in functionibus ac muneribus obeundis id eligant, quod ipſis maximè arrideat; ſed quod ſuis quaſi Magiſtratibus videatur. Atque in hac obedientiæ virtute cæteris ferè Religioſis antecellunt Ieſuitæ: vt quemadmodum quidam paupertatem ſummam, aut aliam in vitæ genere aſperitatem Religioſi ſectantur, in qua emineant: ſic Societas IESV hanc præcipuè virtutē apud ſuos florere & in ſummo haberi precio percupit; cuius nobilitatem miris laudibus vexit, & perfectionem pulcherrimis coloribus depinxit, eiuſque aſſequendæ rationes optimè demonſtrauit beatus Ignatius primus huius Societatis Auctor. Quoniam autem animaduertunt Calumniatores, huic virtuti maximè ſtudere Ieſuitas, in eaq; ita excellere, vt etiam totius Societatis bonum & incrementum in ea ſitum

In vita P. Ignatij à Ribadeneira ſcripta lib. 5. ca. 4.

tum

tum eſſe exiſtiment: ideò fortioribus machinis, maioribuſque calumnijs in hanc obedientiam irruunt, & de ea impudentius audaciuſque mentiuntur: quamuis ita in cæteris capitibus omnem mentiendi & calumniãdi vim exeruerint, vt mirari ferè quis poſſit, eis adhuc ſpiritum & voluntatem ad fundenda mendacia ſuppetere. Sed habent auctorem & impulſorem indefeſſum & inexhauſtæ artis, quo adiutore quamdiu vtentur, tanquam ex perenni fonte calumnias & mendacia, prouentu vberrimo, cõparare ſibi poterunt.

In Epiſtola P. Ignatij de obedientia & in Conſt. Soc. paßim. Hiſ. or. Ieſ. à pag. 108. &c.

Sed quid tantoperè in hac obedientia Ieſuitica diſpliceat Calumniatoribus, audiamus. Ad viuum rem reſecant. Vnde ortum habeat hæc obedientia, ſic declarant. Ignatium Loiolam Hiſpanum fuiſſe: hominem ſeruili ingenio: ſeruire enim Hiſpanos Regi ſuo: itaque ſuruitutem amaſſe, & in Societatem IESV introduxiſſe. Quid hæc ſibi volunt Polycarpe? An neſcis Ignatium Loiolam nobiliſſima familia ortum eſſe? An nobiles ſerui ſunt? Cur Hiſpanos ſeruos dicis? An quia Regi ſuo parent? An quia in fide Catholica ita ſunt conſtantes, vt etiam nomen veſtrum execrentur? Ergonè ſerui, quotquot Regibus ſubſunt? Sed non eſt obſcurum, quid velis Polycarpe. Illos tu ſeruili ingenio dicis, qui diſciplinam Chriſtianam æquo animo admittunt: qui nolunt ad quæuis ſcelera & hæreſes habere licentiam; ſed ſe aliena auctoritate, etiam in rebus, quæ ad fidem ſpectant, duci ac regi patiuntur. Vos liberi eſſe vultis: hoc eſt, quaſuis hæreſes & abominandos errores per orbem impunè diſſeminare; ac Reſpublicas quietas, vti feciſtis hactenus, ad ſeditiones & bella concitare. Hinc Tyranni vobis vocantur & iniuſti Dominatores, qui perſpectis veſtris fraudibus ac dolis, vehementer ac fortiter eis obſiſtunt: quique vos quàm longiſſimè, tanquam peſtes & faces bellorum, à ſuis ditionibus remouent. Illi autem vobis ſerui ac mancipia videntur, qui non pro ſua libidine ſacra & profana omnia permiſcere & peruertere poſſunt. Ita vera vobis libertas ſolùm eſt ſcelerũ omnium & flagitiorum impunitas & licentia.

Obedientiã prædicãtes ſeruitutem vocant. Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 110

Pſeudohiſtoricus videt eos, qui in Dominũ ſunt Chriſtũ Dominum ſecundùm Apoſtolum agnoſcunt. Epheſ. 6. 1. Pet. 2.

Quapropter planè intolerabile arbitratur Polycarpus, vt quis homini alicui tanquam Chriſto Domino obediat, hoc eſt, ita Moderatorum ſuorum imperia audiat & exequatur, atque ſi Chriſtus ipſe corporeis oculis aſpectabilis imperaſſet. Quicquid verò dicat Apoſtolus? Etiam in Dominis diſcolis ac Ethnicis auctoritatem quãdam diuinam nos agnoſcere & venerari debere: atque adeò ſic illis obtẽperandum eſſe tanquam Chriſto Domino. Hoc tamẽ non facit ad guſtum & palatum Polycarpi, vt homo hominem loco DEI habeat, eiq; tam ſtudioſè obtemperet. Nõ enim tanti eſt Apoſtolus Paulus apud Polycarpum, vt propter eius mandatum velit in ſeruitutem redigi. Quamuis autem

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 112.

ipſe Polycarpus neceſſariò fateatur, in Ieſuitarum Regulis eatenus tantùm mandari obedientiam, quatenus nihil pręcipiatur, in quo peccatum eſſe cognoſcatur: tamen ſæpius poſteà mendaciſſimè & impudentiſſimè calumniatur, tyrannica hac ſeruitute etiam ad peccata & flagitia perpetrãda cogi Ieſuitas. Eo ſolo nixus fundamento; Doctrinam atq; fidem Romanam, Pontificiam, Catholicam, plenam eſſe errorum ac ſcelerum. Omnia autem Ieſuitarum imperia ad incrementum & conſeruationẽ fidei ſpectare. Quòd ſi ſceleratus impoſtor Romanam fidẽ talem eſſe, qualem deſcribit, probare voluiſſet aut potuiſſet: non ei hiſtoria Ieſuitica, ſed diſputatio conſcribenda aut edenda fuiſſet, qua

Societatis Ieſu homines ad omnes virtutes, Obedientiam precipuè exercentur.

id luculenter demonſtraret. Nunc illud agit, vt Ieſuitæ videantur talem Obediẽtiam colere, qua in ſceleribus etiam perpetrandis promptè obediendum ſit: quæ calumnia eſt manifeſta, qua frequenter vtitur nequiſſimus & improbiſſimus Calumniator.

Talia reperiuntur in cap. 5. Hiſ. Ieſ. Or. de Ieſuita-

Sed quoniam ponit exempla Obedientiæ Ieſuiticæ, ea ſunt aliquantulum accuratius perpendenda. Duûm autem generum ſunt, quæ adferuntur. Primum, quædam mera commenta ſunt & mendacia, quæ ſuo quoq; iudicio lector deprehendet, quæque indigna iudicamus, vt à nobis confutentur. Alia deinde ſpeciem quidem veritatis habent, ſed ita ſunt ab iſtis Criminatoribus deprauata, vt appareãt

vel turpia prorſus, vel inutilia, vel etiam noxia. Eiuſmodi ſunt exercitationes quædam ſiue experimenta, per quæ variè, præſertim Tyronum Societatis IESV conſtantia & promptitudo in obediendo tentatur. Atque propter huius generis exercitationes egregiè Societatem pſeudo hiſtoricus irridet: quoniam multis, ſe, qui ſcilicet rationem diſciplinæ Religioſæ perſpectam non habent, facilè perſuaſurum ſperat, vt ridiculos & ineptos Societatis IESV homines exiſtiment; quod cùm ſint ex illis non pauci natalibus illuſtres, aut doctrina graues, aut virtute & auctoritate clari, iubeantur tamen interdum ea ſubire, quę fortè aliquis etiam ſeruili ingenio vix perficeret: & quod in ijs etiam quandoque, in quibus quidam præ cæteris ſibi ſapere videntur, non agere vt inſtituerunt, permittantur; ſed ad mentem & voluntatem Imperantis ſe potius conformare debeant; quod interdum humum verrant: aliâs vaſa eluant: humilia & abiecta miniſteria (etiam reluctante quandoque aliquo affectu animi, non perfectè domiti) ambiant & ſtudioſè obeant: quodque foris ob virtutem aut eruditionem honoratiſſimi, domi non ſibi ſolùm & æqualibus, ſed etiam honore & exiſtimatione inferioribus, vel ſponte, vel ex mandato ſeruiant.

rũ vita priuata, & multa paſſim aliâs.

Atque hæc quidem, præſertim vt à Pſeudohiſtorico narrantur, vel abſurda, vel inepta plurimi mortalium iudicare poterunt, quoniam ipſi eorũ fructum & finem non cognouerunt vnquam. At Patres Societatis IESV, qui nullam, quàm ſui ipſius Victoriam, pulchriorem; &, meliorẽ eum, qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium eſſe ſciũt: hæc virtutum ſummarum quaſi rudimenta quædam cupidiſſimè complectuntur, & in illis ſic ſe exercent, vt ſine quibus ad virtutum & perfectionis culmen aſcendere non poſſe putent. Verùm ſi ipſam etiam rationem conſulamus: Quàm inuicti animi robur exiſtimas hoc, ita animo comparatum eſſe, vt nullum Imperium tam durum videatur, quod non exequare, aut ad arbitrium imperantis, aut certè ſecundùm vires & voluntatẽ obediendi? Non eſt fœlicitas

Victoria ſui, maximè cordi Societatis Ieſu Patribus

Prouer. 16.

eorum,

eorum, quibus nihil durum aut aſperum imperatur; ſed eorum, quibus nihil, quod non ipſi animo volente ac prompto faciant, imperari poteſt, Hanc fortitudinem & cõſtantiam, hanc obediendi promptitudinem optimi viri ac ſapientiſſimi illis ſimilitudinibus rectè declarant, cùm ſignificant verè Obedientem eſſe tanquam baculum in manu ſenis: Nec magis eum imperio maiorum cõtradicere, quàm cadauer, quod ſine ſenſu ac voce eſt. Fuerunt autem hæ Virtutum quaſi periclitationes, antiquiſſimis, ſapientiſſimis, ſanctiſſimiſque hominibus ita vſitatæ, atque tam ſunt viſæ neceſſariæ, quaſi ſine ijs Monaſticæ, Religioſæque diſciplinæ perfectio nullatenus conſiſtere poſſet. Itaque pleni ſunt libri ſanctorum Patrum eiuſmodi exercitationum in virtutibus, & præſertim obedientiæ exemplorum, quæ à DEO ſæpè ſunt per miracula comprobata, quorum multa afferrem, niſi putarem pijs quidem obuia & cognita, impijs autem incredibilia. Nam rideret ea Polycarpus non minus, quàm quæ de Ieſuitis commemorat; quamuis vt dixi, vix in vlla narratione fides ei adhibenda ſit: quoniam etiam quæ vera ſunt, veneno malitiæ ac maledicentiæ ſuæ corrumpit.

Vide Baſil. Aſcetica. Chryſoſt. contra vitu perãtes Vitã Monaſt. Caſſianũ, &c.

Quanquam rurſum iam pietatis laudem quærit. Putat enim diuinam Maieſtatem minui, ſi hominibus tam religioſè obtemperetur. Verùm nihil Obedientiam Religioſam auctoritati diuinæ derogare, vt ſceleratus mentitur Calumniatot, inde clarum eſt, quod hoc obſequendi ſtudium DEO inprimis exhibendum docent Societatis IESV Patres: nec aliter hominibus deferendum, quàm quatenus in ipſis DEVS ipſe agnoſcitur & honoratur. Quod ſi nemo eſt mortalium, qui nõ obſequentiſſimos & paratiſſimos ſuos ad obediendum optet ſeruos eſſe; Et non ſolùm ſibi, ſed etiam omnibus, quibus ille poteſtatem & auctoritatem tribuit? pari promptitudine animi, Obedientiam præſtari exoptat; an DEVM putamus non vehementer probare, & gratiſſimam habere voluntatem tam facilem atque expeditam, quam declarant Religioſi Societatis IESV? Neque eſt

Nihil diuina maieſt. derogat obedientia erga homines

eſt quod illud ſuo more deblateret Calumniator: Ieſuitarum Moderatores nequaquã loco DEI haberi debere aut poſſe. Non enim is vir eſt Polycarpus, cuius conſilium aut ductum in via ſalutis quiſquam pius ac prudens ſequi velit. Chriſti oues nunquam ſequentur barbatos & barbaros hos ſeductores qui captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, &c.

Sed mirum etiam in modum illudit Ieſuitis Polycarpus, propter Regulas ſuas ac Conſtitutiones: quas nequiſſimè mentitur eos habere loco Decalogi; imò eidem etiam præferre: quaſi neglectis diuinis mandatis, hiſcè potius ſuis legibus obſeruandis inuigilent: & quaſi leges diuinæ & Conſtitutiones ac Regulæ Societatis IESV inter ſe pugnent, neque ſimul obſeruari poſſint. Quod neque verum eſt, neque ab vllo Ieſuita aut cogitatum, aut dictum vnquam: nec ſi Iudæ inſtar dirumpatur Polycarpus, cõfirmare hoc aliqua auctoritate fide digna vnquam poterit. Quid ſi verò ego demonſtrauero Leges Ieſuitarum quaſi adiumenta quædã eſſe & præſidia diuinas leges & mandata, certius ac fidelius explendi? Nonnè tum probatum erit, Regulas Societatis ſanctas atque laudabiles eſſe? Audi igitur Polycarpe, ſi tantillo tempore vacare potes à calumnijs, vt aliquid ſani ac veri audias. Nunquid inter mandata diuina eſt: Non concupiſces Vxorem aut bona proximi tui? Quem facilius hoc præceptum obſeruaturum putas: Eumnè qui ſolutus ac liber, quò velit, eat, & quantum poteſt bonorum congreget? Aut eum, qui ſe his bonis abdicet: qui alienarum vxorum etiam frequenter obtutus vitet? Quem tu cenſes facilius furtum commiſſurum: Eumnè qui multa, an eum, qui nihil appetat, & qui etiam propria bona ſua dilargiatur? Cupiditatibus vires non obtemperando, ſed reſiſtendo detrahes. Diuitiarum amor cum earum incremento creſcit, & videmus pauperrimos quoſque ſua ſorte magis ſemper cõtentos eſſe, quàm illos beatos. Dubito an hæc intelligas: Niſi fortè dicas ex Stoica diſciplina deſumpta eſſe: quoniã quicquid ſerium aut ſeuerum eſt, illud tibi Stoicum eſt. Times enim

Conſtitutiones ac Regulæ Societatis Ieſu nõ pugnant neq; præferetur Decalogo, vt mẽtitur Polycarpus.

Hiſt. Ord. Ieſ. pagin. 114. & alijs.

Regulæ Religioſorum adiuuãt potius quam impediunt obſeruationem præceptorum diuinorum.

ne Epicurea tibi Secta deſerenda ſit. Itaque ab Epicuro verſuram faciam, vel à Baccho. Quem tu putas ebrietatis crimen facilius euitaturum; eumne, qui affatim, quod bibat, habeat? an qui etiã vino abſtineat: aut poteſtate quantum velit, vel poſcendi, vel bibendi ſe abdicet? Atqui hæc ſeruitus, inquies, eſt: ſit ita ſanè. Sed illud quæro, an ad eum finem, ne ſcilicet quis inebrietur, faciat; Concedes, niſi fallor. Sed dices, præſtat alioqui ſobrium eſſe: quid ſi autem tanta ſit neceſſitas ſobrietatis, quãta profectò eſt, & quidem multò maior quàm libertatis; nonnè laudabilius eſt ſecuriorem illam rationem ad ſobrietatem eligere; quàm hãc libertatis, minus neceſſariam, & magis periculoſam? Sic igitur tibi Bellua, de Ieſuitarum legibus ac ſeruitute ratiocinandum eſſet. Mandata DEI obſeruanda ſunt, ita, vt niſi obſeruentur, æternæ mortis ſupplicium impendeat. Non concupiſcendum eſt, verbi gratia, qui ergo id agit, vt certiore quodam modo eò perueniat; & quàm minimum concupiſcat, an tu eum reprehendẽdum putabis Polycarpe? At nimis difficilem modum & aſperum eligit. Quid refert, ſi ſimul etiam ſecurum? Cùm enim inſtat neceſſitas perueniendi ad aliquem locum, tutior potius via eligitur, quam facilior aut mollior. Quarè ſapienter Ieſuitæ faciunt. Quis dubitet minus erraturum propria voluntate, qui ea ſe ſponte abdicârit? Quis dubitet minus abuſurum pecuniis, aut hæreditate paterna, qui eam ſimul & ſemel pauperibus elargitus eſt? Quis dubitet eius minus irritatum iri cupiditates, qui perpetuo rigore diſciplinæ ac ſtudijs ſeueriſſimis eſt occupatus? At hæc ſeruitus eſt, & miſeria. Sed niſi hanc experiretur, maiore fortè conflictandum eſſet periculo. Ergo iam illa calumnia concidit, præferri ſcilicet Regulas in Societate IESV Decalogo; & illa; cum mandatis diuinis eas pugnare: quod quoniam Calumniator aſſerit tantùm, ampliore confutatione non eget. Et numeretur ſanè hoc inter alia innumera conuicia, quibus optimam optimorum hominum Societatem onerat.

Societatis Ieſu homi- Sed piaculum mihi videtur illud omittere, quod ſceleratiſſimus

ctiſſimus Polycarpus Ieſuitas audaciſſimè accuſat, manifeſtæ & inauditæ inter Chriſtianos Tyrannidis. Præterquam enim quòd iſtam obediēdi neceſſitatem, (quæ tamen, quia ſponte & liberè ſuſcepta eſt, libertas potius vocanda eſſet) cùm Turcica ac Moſcouitica crudelitate improbiſſimus nebulo comparat: illud etiam mentitur: Societatis IESV Moderatores, in eos, qui minus ad exequenda iuſſa & imperata Magiſtratuum ſuorum prompti; vel ingenio ſint præfractiore; ac minus obſeruantes Conſtitutionum Ieſuiticarum; ſeuerè & crudeliter animaduertere: ita quidē, vt ipſe Pater Ignatius hac aſperitate pœnarum multorum valetudinem ac vires tantopere fregerit, vt longioris vſura vitæ priuarentur: eiuſque mendacij auctorem facit, ac teſtem citat Reuerendum Patrem Paulum Hoffæum, virum grauiſſimum, & de ipſa Societate ac Germania noſtra optimè meritum. Quæ tam impudens & turpis Calumnia eſt, vt inter præcipuas numerari poſſit; cùm, ſi in vlla hominū congregatione, ſingularis ſemper, admirabilis, atque planè paterna Patris Ignatij in omnes etiam delinquentes, beneuolentia extiterit: quam vt omnes, qui præeſſent, imitarentur, grauiſſimè ſancit in Conſtitutionib. ſuis, & in hodiernum diem diligentiſſimè in omnibus Collegijs obſeruatur: ita, vt ſemper magis beneuolentia & amore, quàm ſeueritate & acerbitate delinquentes corrigantur. Sed teſtis eſt huius rei ipſa vita beati illius viri; tùm eorum Conſtitutiones & Regulæ. Non quidem omninò parcitur delinquentibus; ſed diſciplina Religioſa magno vbique ſtudio ab his Patribus obſeruatur. Veruntamen ſic inter eos viuitur, vt pœnis minimum opus ſit, niſi fortè ad Virtutis exercitationem. Et ita plerique affecti ſunt, vt, quamuis ob leuiora errata, de ſe ipſis grauiores pœnas ſumant, quam quiſquam etiam ſeuerus Cenſor exigeret. Quòd ſi quis aliquando præfracti animi & impatiens paternæ emendationis, aut grauioris & manifeſti ſceleris reus inueniretur, nō eum in carceres compingunt, nec tormenta adhibent, ſed à ſua Societate demittunt, & liberum abire ſinunt. Quò fit, vt talium, ſi qui

nes, magna prudentiæ ac manſuetudine gubernari.

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 44. & 151.

Atrox calumnia de Tyrannide Ieſuitarum cōfutatur.

Hiſt. Ord. Ieſ pag. 12.

In vita eius lib 5. ca. 7. Cōſtit par. 6. cap. 1. §. 1.

ſi qui ſint, crimina, ipſis Societatis IESV Clericis nequaquã aſcribi debeant; nemo enim vllius criminis reus eſt, niſi ipſe id perpetrarit; vel conſilijs aut auxilijs perpetrantem adiuuerit; aut diſſimulando in ſcelere confirmârit; quorũ nihil faciunt Societatis IESV Patres, qui tales à ſe repellũt; itaque repulſos alio loco habere non oportet, quàm quo habentur, ſani corporis excrementa.

Atrociſſima criminatio in Moderatores Societatis IESV. Locis paulo ante ex Hiſtor. Ieſ. citatis.

Illud demùm in hoc capite ſatis admirari nõ poſſum, eò confidentiæ ac audaciæ prorumpere Polycarpum, vt affirmare audeat: eos qui ſint ad obediendum tardiores, & ingenij ac voluntatis peruicacioris, ſi mores non mutent, à Ieſuitis clàm occidi, non tantùm lento crimine per pœnitentias, de quo hactenus; ſed etiam celeri ac violenta morte, vt veneno. Itanè ergò barbari, ſæui ac truculenti Ieſuitæ, vt in ſuos ipſi Fratres ſæuiant? Audi Polycarpe Leyſere: Ego te citius ac fortius patrem, matrem, liberoſq; tuos occidiſſe teſtatum faciam; quàm tu probes Ieſuitarum Moderatores, vllum ſuorum occidiſſe; Quòd ſi hæc conſuetudo eorũ eſſet, occidere quos corrigere non poſſent: næ, illi ſceleratum tuum Eliam, non ad te perfugere permiſiſſent. Nam quibus tu de cauſis, Ieſuitarum Maiores ita ſæuire improbiſſimè mentiris: eæ omnes in Elia inſignes fuerunt: ſiquidem non paucis antè, quàm fraudulentus Apoſtata, furum inſtar ac nebulonum aufugiſſet, hebdomadis, ita ſe geſſit, vt melioris frugis ſpes eſſet ferè nulla. Sed toleratus tamen eſt, & benigniſſimè tractatus: neque opus habuit ſic aufugere, vt ij ſolent, qui laqueum aut ignem ſe meritos ſciunt: ſed tanquam Tyro adhuc dimiſſus eſſet, ſi animum ac voluntatem ſuam declaraſſet, quemadmodum alijs plurib. factum eſt. Verum videtur aliquod calumniæ patrocinium quæſiſſe Polycarpus; hos præcipuè, qui Coadiutores apud Ieſuitas vocentur, ſi vitioſi, aut contumaces ſint, ſic trucidari mentitur.

Polycarpus calumniam minorẽ alia maiore conatur excuſare.

Verùm hoc ipſum manifeſtiorem reddit calumniam, quippe cùm multò minus periculi ſit in eiuſmodi cõdicionis hominibus, ſi vitæ ſuſceptę ſe non cõſtanter accommodent,

dent, dimittendis, atque penitus excludendis; quàm in cæteris, qui tùm animi, tùm externis dotibus his longe plerũque præſtant. Nequeo ſatis apud animum meum aſſequi, quænam poſſit extitiſſe cauſa, vel Eliæ, vel Polycarpo, huius atrociſſimæ calumniæ comminiſcendæ, niſi quòd exiſtimo hoc efficere voluiſſe Calumniatores iſtos, vt Ieſuitæ paſſim ab omnibus trucidarentur, ſi crederetur, eos ſuos fratres ac ſocios domi & occultè per inauditum nefas contrucidare. Verùm nihil effeciſti Polycarpe: ſua perſeuerabit Ieſuitis apud Catholicos auctoritas & gratia: te verè cœleſtis manet ob has tantas iniurias in homines innocentes vindicta, tantò acerbior, quantò tardior. Etiam ex ijs, qui tua legent & audient, multi, nihil à te deterriti; à Ieſuitis trucidari, quàm tecum in delicijs viuere, multò magis eligent; tanti ſcilicet tuam fidem & calumniam hanc facient. Hoc ego de Societatis IESV Patribus mihi polliceor, nihilo minus etiam, pro hac tanta tua in eos calumnia, ſi tu Polycarpe trucidandus eſſes, Ieſuitas te etiam cum proprio periculo, erepturos morti, & ſalutem daturos. Hos tu, Polycarpe, homicidas & paricidas arguis, qui nullum tantum inimicum habent, & habent ſanè truculentiſſimos, quem non viuere & beatum eſſe cupiant & laborent: Polycarpe, quid hominis es, quem neq; pœnæ ac ſuppliciorum timor neque tanta Ieſuitarum bonitas & pietas à calumniando abſterreat?

Venit mihi hoc loco in mentem; veterũ Tragœdiarum formam, in hoc famoſo libro Polycarpum æmulatũ fuiſſe. Legit enim vel audiuit ſine dubio; Poëtas illos Tragicos, vbi nefandiſſima Tyrannorum & crudeliſſima flagitia ſpectãda propoſuiſſent, Furias introduxiſſe, quæ tantorum ſcelerum pœnas ſumerent, & per ſummos cruciatus ac horrenda ſupplicia, animam ac vitam tandem immaniſſimis belluis eriperent. Itaq; in Ieſuitis, Oreſtis, aut Thyeſtæ perſonam contemplatus ſum. Nam tanta flagitia, tanta crudelitas, tanta impietas, quid aliud meretur, niſi ardentes Furiarum faces; & mortem truculentiſſimam? Fingit igitur Poly-

Calumniæ ſunt, Ieſuitas ſpectris velut Furijs agitari & horrendos vitæ exitus ſortiri. Hiſt. Ord. Ieſ. cap. vlt.

Polycarpus, Ieſuitas ob hæc ſcelera, quæ ipſe commemorauit, Furijs exagitari, & nocturnis atque diurnis terroribus excarnificari, idque exemplis comprobat, hominum mihi amiciſſimorum & notiſſimorum; atq; vt ex pluribus vnum ſeligam, ipſius Patris Gregorii de Valētia, quem hoc ipſum fateri, audaciſſimè & ſtultiſſimè mentitur. Quanquam non eſt hoc ſolùm de Patre Gregorio mendacium, ſed alia plura, æquè impudenter atque inſulſe ſimul conficta, nempe cum Kemnitij eruditionem, vehementer admiratum, exhorruiſſe, & ſimilia: ſed ad ſpectra, Furias, ſtimuloſque conſcientiæ redeo, quibus Patres Societatis I E S V doctiſſimos & optimos excruciari calumniatur. Quæ tamen calumnia ex iis, quę hactenus commemorata ſunt, manifeſtè conuellitur: & ex eo quoq; vaniſſima conuincitur, quod inter cætera, quæ in Societatis I E S V Patribus miramur, ſit illa quaſi perpetua quædam ſerenitas animi; & gaudiũ ac tranquillitas mentis ſingularis, quæ in omnibus ferè eorum actionibus, ob rectè factorum conſcientiam elucet. Quin etiam ipſi Hæretici, qui cum Societatis I E S V Patribus egerunt, mirati plerunque ſunt eorum comitatem ac hilaritatem cum grauitate & conſtantia ſic coniunctam, ſatis vt appareret, illis nunquam deeſſe lætitiam ortam ex bona conſcientia, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contēptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. Quod verum ſolidumque gaudium obtinent vſque in vitæ finem ac exitum, quem plerumque fœliciſſimum ſortiuntur; ita vt pauci ex ijs, qui Ieſuitas benè nouerunt, ſint, qui non optent ſibi talem exitum, qualem vel in illis viderunt: vel ex fide Catholica intelligunt, mereri eos, qui ſe tota vita ſua DEO dicarint. Quare inſanæ & iniquiſſimæ calumniæ ſunt, quas de morte Ieſuitarum in fine libri plurimas & inauditas ſtruit Calumniator; inter quas illa eſt, pleroſque deſperare, aut de fide dubitare, ac pœnitere, ſi vel à Lutherana fide defecerint, vel cōtra eam ſcripſerint: Idq; contigiſſe tùm alijs, tùm etiam ipſi beato Ignatio, Franciſco Turriano Ieſuitæ, & Caſparo Franco,

Ante-

Anteceſſori meo; quæ mendacia, & cætera huius Pſeudohiſtoriæ innumera, plurimis & grauiſſimis teſtibus, qui præſentes horum virorum, & cæterorum morti adfuerũt, confutari luculenter poſſent, ſi Polycarpus dignus iudicaretur, contra quẽ tantorum virorum teſtimonia producerentur.

Non eſt in hac Apologia expectãda confutatio omnium mendaciorum Polycarp.

Sed velim tandem tuas calumnias, in hac tam enormi occiſas omnes: At reuiuiſcunt aliæ; contra quas adhuc dimicandum eſt. Quoniam ſemel purgandam ac defendendam Societatem mihi ſumpſi; pergendum eſt. Illud tamen etiam atque etiam obſecro, memoria repetatur: neq; omnes, neque pleraſque, neque maximas vel impudentiſſimas calumnias me tantum perſequi, ſed eas ſolùm, quæ memoria hæſerunt poſt librũ hunc incredibili faſtidio peruolutum. Nihil ego dixi, aut dicam, de mẽdacijs & calumnijs, quibus nòmen Ieſuitarum inſectatur: non enim ferre poteſt nomen Societatis IESV, cùm malit eſſe ſocius Dœmoniorũ; neque æquis auribus audit, quod optimi Patres, Ieſuitæ vocentur, quamuis nõ neſciat, nõn ab ipſis Patribus, ſed à vulgo (cuius ego quoq; in hac Apologia, ſæpius auctoritatem ſequor) ſic appellatos. Nihil de conuicijs & contumelijs, in grauiſſimos & doctiſſimos viros, quos nominatim perſequitur: nihil de falſis innumeris narrationibus: nihil de deprauationibus, dictorum, factorum, regularum Ieſuiticarum profero: quàm multi, qui non ex Societate IESV, ſed eorum tantùm amatores ac fautores ſunt, mihi defendendi eſſent? quàm multa, de me, de alijs proferenda, ſi omnia confutare vellem, quę me, quę meos amicos etiam, & inter eos virum Clariſſimum D. Andream Fabricium Leodium cognatum & patronum meum ſempiterna memoria colendum, quem non ſemel ſeditionis excitatæ malitioſiſſimè inſimulat) quæ omnes Catholicos attingunt? Id enim egit fraudulentus Calumniator, vt iuxta cũ Ieſuitis, omnes Catholicos cuiuſcunq; Ordinis ac dignitatis apud incautos Lectores, præſertim hæreticos, inuiſos redderet: Itaq; omnes alios libros famoſos, & in Romanam Eccleſiã ac Imperium contumelioſos compilauit Polycarpus; in quibus, ſicut

Polycarpi calumniæ non Societatis IESV Patres tantum: ſed & eorum amicos attingunt.

Pleraq; Criminationes

tiones, conuicia & contumeliæ in Pontificē Epiſcopos, Ieſuitas: Itē multæ fabulæ exſcriptæ ſunt à Polycarpo ex Aluearia ſeu Apiario Romano: & ex alijs libris famoſis infamiū Prædicantium.

ſicut etiam in nonnullis calumnijs contra Ieſuitas, conuinci poteſt, nequaquam ab Elia eas accepiſſe, ſed ipſummet confinxiſſe, adiuuantibus alijs, qui ſe prodere non ſunt auſi; quique cùm Calumniatorum ſupplicia timerent, hac proiecta Polycarpi ad audendū nequitia, ſunt abuſi. Verum hi, vt adhuc ſpem latendi habeant, fiduciam certè nō habent. Tu interim Polycarpe eris hoſtia ſuccidanea: qui tam calumniarum mendaciorumque fuiſti prodigus, nullius vt videatur eſſe tanta memoria qui omnium meminiſſe poſſit: nullius tanta impudentia , qui omnes commemorare audeat: nullius tanta patientia, qui omnes repetere velit, præſertim tam putidas, tam inſulſas, tam incredibiles, tam atroces, tam innumerabiles. Neque enim vel diſtinctè aut quaſi ordine quodam aut ſucceſſione mētitur Polycarpus, ſed vno ſpiritu, vnico verbulo, plurima, eaque grauiſſima fundit mendacia & calumnias. Hæc idcircò à me dicuntur, quoniam certò ſcio, qui Hiſtoriam totam, ante hāc meam Apologiam legerint, requiſituros quodammodo diligentiam meam, cùm tam multa à me prætерita animaduerterint. Nam prout quiſque variè erga Societatem IESV, & cæteros, de quibus hoc libro agitur, affectus eſt; aut hoc vel illud in Ieſuitarum viuendi ratione probat aut improbat: ſic aliud atq; aliud à me confutatum aut explicatum deſiderabit, niſi illud apud animum ſuum ſtatuat, nec decorū mihi, nec Patribus cæteriſque ad defenſionem neceſſarium, nec inter grauiora mea ſtudia tolerabile mihi viſum fuiſſe, ſingula percenſere.

Cap. IIII. *Apologiæ, quo demonſtratur falſiſsimas eſſe calumnias, quæ Societas Ieſu crudelitatis,*

QVOD illis ſolet contingere qui diuturna iactati ſunt tempeſtate, vt cùm ad Inſulam quandam, aut qualemcunque portum appulerint, ob recordationem ſuperati periculi vehementer animo reficiantur & delectētur; propter ea verò, quæ adhuc reſtent, pericula, nequaquam pura plenaq; lætitia afficiantur; veruntamen recordatione ſuperiorum diſcriminum, quæ euaſerint, ſpem maximam concipiant, vltimum ſe tandem ac optatiſſimum portum fœliciter aſ-

ſecu-

ſecuturos; atq; adeò magno conatu rurſum ventis dent vela,& in altum euehantur:idem ferè mihi vſu venit,qui tam horrendis & ſceleratis calumnijs confutatis,quas in doctrinam & vitam Societatis I E S V religioſiſſimæ perditi nebulones excogitarunt literiſque mandarunt, nonnihil reſpiro & reſumo vires; quas in emetiendo hoc tam irato mari, pœnè attriui. Sed ſubit animum meum timor quidam,ne reliquum iter,quod peragendum eſt,eo quod iam confecimus periculoſius penè ac difficilius ſit. Hactenus enim commemoratæ calumniæ exiguæ ac paruæ videri poſſunt, præ ijs,contra quas nunc eſt totis viribus agendum. Multos inuenias,qui impiè dè D E O ſentiant,& ſceleratè viuant, nec etiã ſua ſcelera ſibi obijci magnoperè curent aut indignentur. Sunt etiam,qui neque omnes impios,aut ſceleratos vita priuandos,aut ex hominum Societate tollendos putent. Sunt prætereà, qui opinentur, eas, quæ in doctrinam aut vitam alicuius iaciuntur,calumnias omnino negligendas eſſe. Atque ita ex diuerſorum hominum ſententia fieri potuiſſet, vt omnia penè recenſita in Societatem mendacia, & criminationes negligerentur potius, quàm confutarentur.

proditionis ac ſeditioſorum conſiliorum accuſatur.

Sed illud, de quo deinceps dicendum, eiuſmodi eſt, vt ſi ſummo ſtudio & contentione non tractetur, poſſimus & noſtræ,& Reipub. ac totius Chriſtianitatis, ſalutis negligentes, átque adeò ipſius chariſſimæ patriæ noſtræ proditores vnà cum Ieſuitis videri: Tales enim eſſe Ieſuitas, nempe patriæ, Principum,& locorũ, in quibus ſunt, proditores, apertè & ſæpiſſimè calumniatur importuniſſimus Calumniator. Et huius proditionis cauſa narrat inſtitutum eſſe in Societate IESV quartum votum Obediẽtię, quo ſe ad omnia, quæ Summus Chriſti in terris Vicarius, voluerit, iuſſerit, ſtudioſiſſimè perficienda, paratiſſimos æternum fore deuouent: Atque hos Profeſſos quatuor Votorum, qui præcipui Societatis I E S V ſunt, præcipuè his calumnijs Pſeudohiſtoricus adoritur: eos eſſe Ieſuitarum pernicioſiſſimos, quiq; aliorum doctrina, ingenio, aſtutia, opera abutantur, ad ſcelerata

Magni intereſt totius Reipub. Chriſtianæ, vt hoc genus calumniarum de ſeditioſis Ieſuitarum conſi'ijs diligẽter examinetur.

Hiſt. Ord. Ieſ. à pag. 121.& dein ceps multis paginis ac paſſim.

leſata ſua conſilia: hos eſſe inimicos pacis, perturbatores Rerumpub. omnium, faces & tubas omnium, quibus Chriſtianitas tota nunc ardet, bellorum; auctores omnium calamitatum, rapinarum, vaſtitatum, cœdium. quæ ſine numero inaudita crudelitate vbique perpetrantur. Atq; hæc tanta crimina probare ſe calumniator dicit ex dictis, concionibus, libris, conſilijs, factis ipſorum Ieſuitarum. Quæ quidem mihi eiuſmodi videntur eſſe, vt parùm pacis ac publicæ tranquillitatis amantes ſint, qui ea cordi non habeāt. Nam & qui credunt tales eſſe Ieſuitas, quales ab iſto Calumniatore deſcribūtur, ij quomodo proditionis patriæ, & ſceleratæ in eam voluntatis crimen ac ſuſpicionem effugient, ſi Ieſuitas ament, foueant, honorent, aut etiam ſi tantum intra viſcera Reipub. Chriſtianę morari eos patiantur. Qui autem non credunt, ſed Societatis innocētiam cognitam ſe habere putant, nec illi quidem in patriam ſuam ſatis fideles ſunt, niſi tales calumniatores iniuriarum reos agant; hoc enim ipſum quietum Rerumpub. ſtatum peruertit, ſi innocentes homines tanquam patriæ hoſtes declarentur & exagitentur.

Etiam Sereniſſimorū ac Illuſtriſſimorum ordinum Imperij, cauſa hic agitur.

Porrò etiam eo nomine hæc calumnia in Societatem IESV maiori conatu retundenda eſt, quòd in communionem criminis de prodenda patria vocētur, principes & ordines Imperij Romani ac Germanici Clariſſimi, quibus adeò non parcit Calumniator, vt videatur etiam illorum quoque interitum ac totius Imperij Romani euerſionem optare, dum vnà etiam Ieſuitæ intereant.

Fundamentum omniū mendaciorum, de Ieſuitica crudelitate, eſt quod B. Ignatius Loiola primus Societatis auctor miles fuerit. Hiſt. Or. Ieſ. cap. 1. & 6.

Sed perpendamus, quaſnam habuerit occaſiones vel cauſas tam inſignium, quàm adfert, calumniarum. Vereor ne & ipſe vobis calumnias fingere videar, tam incredibiles ſunt, quas ipſe comminiſcitur. *Ieſuitarum primus, Ignatius Loiola miles fuit truculentus ac crudelis Hinc omnes Ieſuitæ ſanguinem ſitiunt, ac crudelitatem ſpirant.* Primùm, ſi quicquid vicij eſt in eo, cuius auctoritatem ſequimur, id ſectatoribus eius adhæret; quid efficietur Polycarpe? Lutherus ſacrilegus fuit ac inceſtus, vt cætera taceam: Schmidelinus, Mœcenas & Promotor tuus,

Adulter

Adulter fuiſſe creditur: Igitur & Polycarpus talis. Concluditne ratio Polycarpe? Quòd ſi maximè concluderet, non tam ratione formæ, quàm ratione materiæ, vt Dialectici loquuntur, id efficeretur. Mendacium porrò eſt, Ignatium truculentum & crudelem fuiſſe; niſi fortè æſtimas, nullum eſſe militem, qui non ſit ſæuus & barbarus: tales enim verè ſunt milites, quos vos Lutherani & Caluiniani armatis in Catholicos. Præterea, ſi tam immitis Ignatius, quomodo ergo à Gallis iam captus tam manſuetè & benignè eſt habitus? neq; enim in crudeles benignitas conferenda eſt & humanitas: Fortè quia fortis, ideò immanis vobis videtur, quemadmodum veſtra omnis fortitudo in crudelitate ſita eſt. Preterea an militē eſſe, aut fuiſſe, ſcelus eſt? aut cur exprobras Ieſuitis, eorum Parentē militem eſſe. Si dicas, importunum ac improbum militē fuiſſe, mentiris: nullius tu improbitatis aut crudelitatis eū arguere potes: at legit Polycarpus, eum fuiſſe profanū militē, & vanis iactatū in armis: Iterum à ſine literas docendus es? an neſcis profanum dici ſine conuicio, qui ſacris initiatus nō eſt. Polycarpe, tu nō es profanus, ſed ſacer, imò ſacerrimus, Plutoni breui mactandus. Sed qualis Ignatius miles fuerit, tam parum facit ad hiſtoriam, & calumnias tuas, quam parum ad reprehenſionē D. Pauli Apoſtoli, aut ſanctorū aliorū, quòd ex lupis oues, ex peccatoribus ſancti facti ſunt. Vt enim cognoſcas, qualis Paulus fuerit, nō vt perſecutorem, ſed vt Apoſtolum orbis terræ, contemplari debes: Quin ergo Polycarpe Ignatium intueris, non tanquam profanum militem, ſed iam ex milite pænitētem ac peregrinum, Sacerdotem, ac demùm Ieſuitarum auctorem. Si interea temporis, ex quo ſe profana militia abdicauit; aut ſanguinem ſitiuit, aut truculentum ſe declarauit, videretur ſanè alicuius momenti eſſe tua calumnia, nō tam quidē reipſa, quàm propter hominum opinionē, qui ſunt ad credendū faciles, & ferè æſtimant: qualis quiſq; ſit, tales quoq; habere diſcipulos aut ſectatores: nihil tamen vnquam fortiſſimus Religioſæ militiæ Dux præ ſe tulit, niſi incredibilem benignitatem & humanitatem.

Sæpe ſibi nō modo repugnat ſed & paralogiſat Polycarpus

Aliud argumentum Ieſuiticæ immanitatis probandæ, quod ſe ſub Crucis vexillo milita turos profiteantur.

Sed aliud argumentum habet Polycarpus truculentiæ Ieſuiticæ: ipſi ſe milites profitentur: itaque in Forma inſtituti: quicunque, inquiunt, ſub vexillo Crucis Domino noſtro militare volũt, &c, Vides eos arma, gladios, ac pugnas ſemper in ore habere? Ideo namque his Metaphoris vtuntur, quod nihil eos præter arma & bella magis delectat. Vt in corpore prauis humoribus corrupto, quicquid infuderis, nocumento eſt: Sic in animo Polycarpi, odio in Ieſuitas exulcerato, quicquid Ieſuitarum eſt, in calumniam vertitur. Quis eſt mortalium, qui non ſæpe iſtis tranſlationibus bellorum & armorum vtatur, eaſque ad res priuatas & molliſſimas etiam transferat? Ergo illi omnes ſanguinolenti, barbari, ſitientes ſanguinis humani, qui de bellis loquũtur, de armis, de pugnis, de hoſtibus ſiue armati alioqui ſint, ſiue inermes? Si ita agendum ſit, vt qui de hiſce rebus, ſeu propriè, ſeu metaphoricè libenter loquuntur, illi habeantur bellorum faces & auctores: næ, vos Prædicantes, quibus nihil magis eſt in ore & vſu, quàm Venerea & Bacchica militia, vbi ſcelere & poculis certatur, perditiſſimi & nefandiſſimi proditores eſtis. Certè apparet Polycarpe, te inopem planè & deſtitutum argumentis ac probationibus in confirmãda Ieſuitarum Tyrannide fuiſſe, quoniam ſubſidium ex metaphoricis Ieſuitarum dictis petendum eſt. Quid tamen? Nonnè ipſimet ſua verba interpretantur? Non diſertè docent, quid ſit militare ſub vexillo Crucis, nempe obedire in ijs, quę ad ſalutem animarũ pertinent, Summo Pontifici? pauperem vitam agere & caſtam, ab alieno imperio pendentem (Hæcnè tibi proditiones ſunt? nimis imbellis, nimiſque timidus es (propter conſcientiam fortè ſcelerum tuorum) ſi ideò eos horres, quòd ſe milites, ſuique Ordinis Ducem, militum Ductorem appellent. Nunquam putaui tam te fungum eſſe: niſi fortè times ne iſta militia Ieſuitarum, tantas vires ac incrementa ſumat, vt tibi tandem ſub vexillo Crucis militandum ſit, & vita illa Ieſuitica ſectanda. Verùm non ſub ſalutari Chriſti Cruce facilè militabis: ſed potius ſub Cruce funeſta, illa ſcilicet, quam quidẽ egregiè

giè decorares, & optimè meritus eſſes tuis tantis calumnijs atque criminationibus,

Tertium argumentum Polycarpi: obedientia Ieſuitarum erga Summum Pontificē, eſt coniuratio in cædem Germanorum. Quæ ſit Sūmorum Pōtificum voluntas in Germanos Proteſtantes.

Sed ne videar, infirmiora tantum argumenta Ieſuiticæ crudelitatis & proditionis, ab Hiſtorico mendaciſſimo inuenta proferre, cōſideremus quanti illud ſit, quo tanquam firmiſſimo fundamento, Societatis IESV Tyrannidem niti, plurimis & acerbiſſimis ſæpe verbis conqueritur: Eſt autem hoc, quod ſcilicet Romano Pontifici peculiari fide ac voto ſe deuouerint profeſſi Societatis. Romanū verò Pontificem iuratum ait eſſe omnium hęreticorum hoſtem, qui igni ac ferro omnes hæreticos Lutheranos ac Proteſtantes extinctos eſſe vehementer non optet ſolùm, ſed etiam perpetuò moliatur. Ac quod ad Summum Pōtificem quidem attinet, quin omnes optet ac ſtudeat hæreſes extirpare, negare neque volo, neque poſſum. Nam boni paſtoris eſt, lupos arcere à grege ſuo; Verùm quod Summus Pontifex aliquid in Germanico Imperio molitus ſit ad Lutheranam ſectam funditus ferro & flamma extirpandam: hoc mendacium & calumnia eſt, quales infinitas alias Polycarpus proſeminat. Confidit ille Summus Eccleſiæ paſtor hactenus ab exorta Lutherana hæreſi, ſapientiæ ac pietati Inuictiſſimorum Imperatorum ac Sereniſſimorum, Illuſtriſſimorumque Principum: Itaque etiam eorum pacta, conuenta, concordata cum Proteſtantibus, Comitijs Imperj inita, non reſcidit. nec propterea quicquam moleſtiæ Catholicis in Germania Ordinibus creauit: Nulla ille arma, nulla auxilia in Germaniam, ad vim cuiquam Proteſtantium inferendam miſit. Quòd ſi conſilijs vel auxilijs Catholicis Principibus, & Inuictiſſimis Imperatoribus, aliquando adfuit: id factum eſt ad vim & iniurias hæreticorum aut rebellium repellendas; ad Romanum Imperium, eiuſq́; nobiliſſimos principatus à vaſtitate, quę ab impijs & ſceleratis hominibus imminebat defendendum: quemadmodum ſemper Eccleſia Catholica in iuſtis bellis, Catholicis Romani Imperij Principibus, & ſponte, & maximè, ſi eam efflagitaſſent, opem tulit. Quòd ſi tu Polycarpe, alia ratione aut

modo Summum Pontificem in Imperio Germanico poſt natos Proteſtantes, quicquam contra hæreticos armis attentaſſe dices, mentieris impudenter more tuo, & nouum ſupplicium promereberis. Quare ſi Summus Pontifex Imperatorib. aliquando, Principibuſq;, vel viros vel pecunias contra rabiem, ac inſultus hæreticorum miniſtrando crudelis tibi videtur, cum iis tibi agendũ eſt Polycarpe; in quorum gratiam talia ipſeq́ ſubmiſit auxilia; in eos enim hæc tua criminatio redundat. Si in ſubſidijs mittendis, Tyrannis ineſt, maior erit in expetendis & aduocandis: ſed nihil mirum eſt, ſi Polycarpus Lutheri diſcipulus Summos Imperij Principes, Tyrannos pronunciet: Caue miſer, ne clementiſſimos hactenus Principes ob hanc petulantiam linguæ tuæ in te primùm ſæuire cōpellas. Tu antè æterno igne conſumeris, quam planum & teſtatum facias: Romanum Pontificem poſt exortas peſtiferas hæreſes veſtras, vllum Imperij Ordinem bello laceſſiuiſſe: nunquam ille offendit, ſed defendit armis Imperium Germanicum.

Pauci ſunt in Germania Principes qui his temporibus tot tantaq; beneficia contulerint in Germaniam quam SS. Pontifices.

Præterea quo animo in Lutheranos ac Proteſtantes omnes præcipue Germanos fuerint, multis argumentis declarant plerique huius ſæculi Pontifices, qui tantam beneficẽtiam ac amorem in hanc Germanorum nationem declararunt, quantam vix vllus in ſuam patriam: idq́; adiuuantibus etiam Patribus Societatis IESV; An non illud in Vrbe Collegium Germanicum, ſplendidiſſimum eſt monumentum, voluntatis Pontificiæ & clementiæ in Germanos? Quanta illic Germanorum adoleſcentum multitudo nutrita, educata, inſtituta eſt in literis, in fide Catholica? Et hæc omnia quanto ſumptu, quam liberaliter, quam fideliter, quam fœliciter? Taceo reliqua Collegia per Germaniam, in quibus Alumni Pontificij plurimi ſuſtentantur, ac erudiũtur, omnes adoleſcentes Germani. Si non modò alicuius externi hominis, ſed barbari, ſed infidelis, ſed hoſtis Chriſtianorum, vel minima pars beneficiorum & amoris, quem Summus Pontifex exhibuit, in Germanos eluxiſſet, eum amaremus Vniuerſi. Et tamen Sũmus Pontifex, quem noſtri

noſtri Maiores Sanctiſſimi, Vicarium Chriſti, Supremum Paſtorem, Parentem ſuum cognouerunt & venerati ſunt: imò, quem in hodiernũ diẽ Auguſtiſſimus noſter Imperator, Inuicti Reges, Potentiſſimi Principes talem eſſe fatentur; nulla liberalitate, nulla beneficentia, nulla benignitate conſequi poteſt, apud Germanos Euangelicos, vt benè eis velle videatur. Hac inhumanitate ac feritate Germanos nos imbuit, nouũ hoc Euangelium. Me quidem iam olim aũt etiam omnes Germanos (vtinam ne nimis ſerò) miſerebit ac pudebit horum morum atq; temporum. Nunquid ſi hæreſes Germaniæ Pontifex armis excindere vellet, milites potius quàm adoleſcentes congregaret? An non eos gladijs & haſtis potius, quam calamis & libris armaret? An eos togis magis quam ſagis indueret? An in vmbra ac otio literario potius eos, quam in ſole ac arena gladiatoria exerceret? in templis aut in caſtris diutius morari vellet?

Nihil ad Germanos ſpectãt, quæ in exteris Regnis Pontifex iure meritoq́; ſanxit.

At nota eſt Pontificis Summi Tyrannis & crudelitas in alijs Regnis ac Prouincijs extra Imperium exercita. Audi Polycarpe: Quæ Summus Pontifex egit contra Hæreticos in alijs Regnis aut Prouincijs, ea iure feciſſe, & magno Eccleſiæ bono confirmo. Sed quæ tu eum machinatũ eſſe narras, ea abs te conficta ac deprauata ſunt omnia. Verum oro TE, mi Polycarpe, vt pro tua in Summum Pontificem maleuolentia ad regiones illas, in quibus tantoperè ſæuijt Pontificum crudelitas, preſertim verò in Hiſpanias, proficiſcare, & tantam tyrannidem Pontificiam illis patefacias. Nũc illi in tenebris verſantur Papiſticis, quibus lucem magnam afferes, cùm charitatem tuam ardentem & flamãtem viderint. Nunquam igitur quiſquam Summorum Pontificum Imperij Romani pacem perturbare armis attentauit, ſed omnia, potius cætera hæreſibus ſanandis medicamenta adhibuit: inter quæ etiam eſt huius Societatis propagatio: quæ quantos effectus habeat, vel inde apparet, quod ita te afficit, vt iam pridem te purgare cœperit; poſtquam tantam bilem, tantas calumnias ex ore ac pectore tuo eijcis. Quòd ſi omnibus contumelijs, mendacijs, turpiſſimiſque

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 1. 2. 3.

rebus

rebus pectus impurum euacuaueris, ipſamque tandem animam euomueris, tunc ſanus fies, eamque ſanitatem Ieſuitis debebis.

Polycarpus ſeipſum Calumniatorē probat, recitando formulam inſtituti Societatis Ieſu.

A pag. 131. hiſt. or. Ieſ.

Libet hîc Polycarpe admirari vel ſtuporem, vel nequitiam tuam incredibilem: quòd cùm tantorum ſcelerum, & efferatæ immanitatis Ieſuitas tanquam Tyrannos, tanquam Crudiuoros, & humani ſanguinis cupidiſſimos barbaros arguas: nihilominus tamen formam Inſtituti Societatis IESV, qua cuiuſmodi ſit hæc militia, & quale fœdus, quo ſe Romani Pontificis voluntati dedicant, conſecrantque, clariſſimè explicatur, in hiſtoria tua poſueris. Cùm nãque illa Ieſuitarum Forma planiſſimè loquatur, ad eam rē ſolam inſtitutam hanc Societatem, vt quocunque ad quaſcunque nationes, quemcunque velit ex illis Pontifex, mittere poſſit; vt fidem Catholicam docendo, concionando, pueros inſtituendo, Sacramenta adminiſtrando, & cætera quaſi propria huic Societati ſine tergiuerſatione obeundo propaget. Quæſo te Polycarpe, quales cenſuiſti te habiturū Lectores Hiſtoriæ? An omnes inimicos Ieſuitarum? an etiam quoſdam ex amicis eorū? an omnes tam ſtolidos, tam iniquos, vt per pueros arma, per ſtudium literarum ac Religionis ſeditiones, per libros gladios, per res ſacras & Sacramenta, ænea tormenta & bellicas machinas intelligerent? Nonnè ad conſpirationes & confœderationes belli cauſa initas, opus eſſet hominibus robuſtis, audacibus, bellicoſis; quales non ſunt Ieſuitæ; in Scholis ac ludo literario educati, quietis amantes, expertes bellorum, quiq; fortitudinem ſuam nō æſtiment aggrediendo, ſed ſuſtinendo; ſeipſos potius quàm alios homines vincendo. Sed hæc te pœna ſcelerum tuorum exagitat, vt tam multas inter ſe cōtexas calumnias ac machinas, donec ijs ipſe tandem capiaris, & pro merito Calumniator accipiaris.

De ijs, quæ nonnulli Ieſuitæ dixerint, ad ſeditiones &

At commemorat quædam Ieſuitarum dicta, certiſſima trucis & ſeditioſi animi ſigna. Alij namque dixerunt: *Rem Catholicam, Regnumq́; Pontificium ſtabiliri non poſſe, niſi extincta hæreſi Lutherana, quæ tamen niſi armis infringi non valeat. Alij Catholicos in arma hortantur, & vi-*

& viros vireſq; aduerſum Proteſtantes comparare iubent: Itaque gratulantur ſibi cùm audiunt expulſos, victos, aut fuſos hæreticos: & ſimilem euentum reliquis Proteſtantibus optant & minantur. Ipſi præterea Ieſuitæ ſe fatentur ſeditionum quarundam & expulſorum alicubi Prædicantium: exulantuq; à multis Prouincijs Euangelij Lutherici cauſam fuiſſe. Huius generis multa commemorat Polycarpus, nec ab infimis tantùm dicta, ſed ab ijs, qui ipſi eiuſmodi calamitatum in Lutheranos telas exorſi ac pertexuiſſe videntur. Dixêre Concionatores, Rectores, Prouinciales, Aſſiſtentes Ieſuitarum: ſi hîc ego ſolita firmaque contra te defenſione vſus fuero, & te mentiri Polycarpe dixero: nunquid refutabis, aut me potius mentiri probabis? quod vt facias, nimium tibi operæ ſumendum erit; Illud facilius eſt, neque contumelioſum tibi, Maiora namq; commentus es impune, & forſitan hoc inter mendacia minora latebit. Niſi fortè teſtem in me cites ex inferno euocans Eliam tuum ſeminſtulatum. Sed miſeret meipſius, qui iam experitur illam tantam & æternam pœnam. Tecum potius agam, quem aut pœna, aut vexatio ſi velles, adhuc emẽdare poſſet; niſi ita iam ad hæc obduruiſſes, vt perinde tibi ſit, ſiue quis blandiatur, ſiue mentiri te dicat. Nam niſi ita eſſet, pudentius paulò & rarius mentireris. Sed faciamus etiam atrociora à Ieſuitis dicta eſſe: quod tamen neq; eorum mores & manſuetudo credibile faciunt, neq; tu probare potes. Quid ſi alio vorſum dixerunt, quàm tu accepiſti? Quid ſi non de armis ferreis, ſed de armatura DEI locuti ſunt? Quid ſi non gladium illum corpora vulnerantem, ſed animos penetrantem & erudientem in Hæreticos acuendum dixerint? Quid ſi vos non illo, corpora conſumente, ſed hoc, animos ad cœleſtia eleuante igni conflagrare Ieſuita quis fortè optauit? An verò nullus alius modus aut ratio eſt extirpandi hęreſes, niſi bellis, gladio, laqueo, igne? & vt hæc maximè interdum cùm grauitas morbi id poſtulat, adhibenda ſint; an his vnquam Ieſuitæ vſi ſunt in hæreticos? Non eſt vſque adeò formidoloſus Calumniator Polycarpus, vt timeat Ieſuitas cœdium patratarum accuſare, vt iam auditum eſt;

cædes ſpectantia, vt interpretatur Polycarpus.

Paßim tota hiſt or. Ieſ. maximè vero cap. 6.

Stupidiſ. eſt Polycarpus.

De ſeditioſis Ieſuitarũ ſcriptis. Hiſ. Or. Ieſ. pag. 124. Sed nunc illud obijcit, Ieſuitas conſilijs ac ſcriptis Principes Magiſtratuſq; Catholicos contra Lutheranos ac Proteſtantes inflammando, cœdium innocentum cauſam dediſſe. Inter cætera autem etiam exempli loco ponit librum Antonij Poſſeuini Societatis IESV, viri in rebus agendis prudentiſſimi, & qui Pacificatoris munere fœliciter ſit perfunctus inter Principes potentiſſimos, Tantùm abeſt, vt ille videri poſſit Auctor ſeditionum atque bellorum. Nihilominus tamen Polycarpus, qui in quouis quoduis crimen ac ſcelus reperit, eum ſeditioſiſſimum, tubamq; bellorum nominat. Scripſit autem is Pater libellum, atque inſcripſit, Militem Chriſtianum, in quo eruditè, pieque demonſtrat, quæ Virtutes ſint Chriſtiani militis, quidque ei agendum aut cauendum potiſſimum ſit in bello contra Infideles atque etiam hæreticos. Ex eo libro multa citat Calumniator, ſed ea fide, qua cætera in tota hiſtoria narrat. Primùm mentitur Patrem Poſſeuinum per Germaniam Prouincialem fuiſſe, quod mēdacium eſt manifeſtum: cùm ille nunquam niſi ad breue tempus habitârit in Germania. AEque falſum atque impudens mendacium eſt: Eundem Inquiſitoris munus obijſſe, quod Societas IESV nunquam recepit, nec in Germania, nec alibi. Præterea, vt in odium omnium mortalium Ieſuitas adducat, ita eum librum allegat Calumniator, quaſi Poſſeuinus iubeat omnes hæreticos vbique locorum, nulla alia expectata ſententia, quamprimùm occidi & trucidari: quæ eſt Calumnia, quam viro prudentiſſimo & Religioſiſſimo infert maximam. Nunquam ille mentionem fecit Proteſtantium in Imperio Romano, ſed eorum tantùm, qui in alijs Regnis non ſolùm Lutheranos ſe & hęreticos declarant, ſed etiam perduelles ſe gerūt, & Regibus ac Magiſtratibus inſidias ſtruunt. Quare niſi Proteſtantes in Imperio Romano ac Germanico fateantur ſe hęreticos, niſi ſe rebelles eſſe agnoſcāt, nihil ad illos liber Patris Poſſeuini, nec illa cohortatio: Sed iſtius calumniandi libido hæc comminiſcitur. Illa porrò quæ tanquam à Patre Poſſeuino ſcripta pronunciat: *Hortari eum belli Duces, vt Euangelicos*

Defenditur à Calūnijs Polycarpi Antonius Poſſeuinus.

P. Poſſeuinus ſua prudentia plurimum Germaniæ profuit.

tes fidem datam ſeruent: Inquiſitores in eos clandeſtinos ſubmittant, domeſtica & inteſtina inter illos bella excitari curent, proditores ac ſicarios omnibus in locis contra illos conſtituant: Et qui Duces hæc non faciãt, eos in Eccleſiam Romanam peccare, inexcuſabiles reddi & damnari. Hæc inquam, quæ Poſſeuino furioſus Pſeudohiſtoricus affingit, tam ſunt Poſſeuino aliena, vt eorum in toto illo libello, quamuis magna diligentia euoluatur, nullum appareat omnino veſtigium. Itaque non detrecto, quò minùs tantum de mea fide & auctoritate, quæ mihi ſemper chariſſima eſt, & à magnis etiã probata & ſpectata viris detrahatur: quãtum ex his verbis, quæ ex Calumniatoris hiſtoria retuli, in illo libro Poſſeuini reperietur. Vt hic quoque manifeſtus ſit criminis falſi ac ſceleratiſſimæ mentis Calumniator: & inde rurſum argumentum ſumatur, quæ ſit eius narrationibus ac citationibus fides danda. *Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 86.*

Paris roboris ſunt ac virium, ſimilique veritate fundata, quæ de concionibus, atque de Cõſilijs Ieſuitarum, narrat; quæ mihi probè perſpecta ac cognita habere videor, quoniam certò ſcio non aliam eſſe Catholicorum reliquorum quàm Ieſuitarum ſententiam in ijs, quæ ad hęreticos, vel tolerandos, vel exigendos ſpectant. Vtar autem commemoratione potius quàm confirmatione: ita tamen, vt iuſtitia, æquitas & clementia Catholicorum: horum autem Calumniatorum mendacia putidiſſima deprehendantur: imò in eos hæc ipſa ſcelera, quorum Ieſuitas arguunt, manifeſtè retorqueantur, atque id non per contumeliam aut criminationem, ſed ipſa ſic veritate, qua vtemur, & ratione demonſtrante. *De Concionibus ac Cõſilijs ſeditioſis Ieſuitarum.* *Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 125. & ſeq.*

Inprimis autem hîc neque ego, neque Patres Societatis IESV, neq; quiſquam bonorum atq; piorum tẽperare, poteſt à lachrymis, ſi cum animo ſuo cõſideret illum beatum ac fœlicem ſtatum, altiſſimamq; quietem, in qua vixerunt Patres noſtri, nos autem amore nouitatum imprudẽter excidimus. Quæ enim & quanta erat illa Germaniæ ac Imperij fœlicitas, cùm ab vnius nutu & auctoritate pendebant omnes illi, qui ſe ſacrorum aut Antiſtites, aut Miniſtros *Calamitas Germaniæ poſt exortas hæreſes.*

appellari volebant; quando eadem omnes templa frequentabant; iiſdem Sacramentis vtebantur; eoſdem ſacrorum Præfectos ac Curatores agnoſcebant; quando iiſdem precibus omniũ voces tanquam vna cœlum fatigabant; quando eoſdem cultus, eaſdem cæremonias omnes admittebãt ac venerabantur; quando eædem omnium erant & viuendi regulæ, & rectè de DEO ſentiendi canones, quando ſacra à profanis diſtinguebantur; quando liberalitate Magnatũ, Priuatorumque Eccleſiæ incrementa ſumebant: Cœleſtis autem benedictio cum liberalitate quodammodo & pietate mortalium certabat; quando dubitabatur, vtri plus opum poſſiderent, qui opes contemnerent ac abijcerent, an qui ſtudioſè congererent; quando tanta erat fides Germanorum, vt iniuratis plus crederetur illis, quàm aliorũ multis & magnis obteſtationibus atque execrationibus; quando demùm erat idem Chriſtus, eademque de Chriſto fides apud omnes, idem verbum DEI, eadem ſacra, iidem ritus; atque ita Imperium vnum Romanum, vt Sol in orbe, lucebat. Verùm hæc tempora nũc magis deplorare licet, quàm emendare. Fortè Polycarpus aliquis rideret, negaretq; beata fuiſſe illa tempora: hæc enim eſſe aurea, quibus Euangelium reſplenduerit. Quaſi verò pugnent inter ſe Pax & Euangelium: fœlicitas & fides vera.

Ieſuitis ac omnibus Catholicis vna pax cordi eſt.

Quod ideò dico, vt intelligant omnes, nihil aliud & Catholicis & Ieſuitis omnibus in voto eſſe, quàm pacẽ & tranquillitatem. Cui enim hominum generi gratior eſſe pax poteſt, quàm Ieſuitis, quorum omnium ſtudia & munera niſi in pace & tranquillitate florere magnopere nõ poſſunt? Ipſi enim homines ſunt nequaquam militares: niſi fortitudinem militarem in patiendo conſtituas: Tunc ſanè non negauerim eos milites ſtrenuos; quoniam fortiſſimè & acerba ſuſtinent, & à voluptatibus abſtinent; & ſanguinem etiam libenter fundunt pro Chriſti nomine atque gloria. Prætereà ſunt inermes domi foriſque. Nam hæc calumnia eſt Polycarpi, domi Ieſuitas arma reſeruare. Nunquam vidit ipſe: nunquam etiam arma in Collegijs inuenientur,

niſi

niſi illa, quibus cum cupiditatibus pugnatur. Et quomodo poſſunt aut ſtudia literarum inter bellicos tumultus vigere; aut Maieſtas diuini cultus inter funera augeri? Paucis, omnia, quæ bellum comitantur, Ieſuitarum vitæ, inſtituto ac propoſito vehementer repugnant. Ea autem ſunt; Ordinum, hominum, officiorum confuſio, militum audacia, hoſtium terror, ciuium inter ſe diffidentia, varij & inopinati euentus, incertitudo futurorum, certitudo periculorum. Cùm è contrà Societatis IESV homines ament & ſectentur ordinem, celebritatem templorum, conſtantiam in exercendis pietatis operibus, alacritatem DEO ſeruientium, & ſpem futurorum bonorum: planè, vt quò magis conſideres, eò pauciora inuenias, ob quæ videri poſſint Ieſuitæ non pacem & quietē ſeditionibus ac bellis, tùm Ciuilibus, tùm externis præferre. Taceo, quòd cùm tanta ſint in eos hæreticorum odia, vt vix ipſum humani generis hoſtem plus odiſſe videantur pleríque hæretici, ſibi ipſis Ieſuitæ propter incertos belli euentus, magna mala procrearent, nempe mortem crudelem ac ſæua ſupplicia, ſi in arma Catholicos prouocarent. Quare ſi quiſquam mortalium eſt, qui & pacem optet, ac optare meritò debeat, hi Ieſuitæ ſunt, quorū res maximè tempore pacis, incrementa ſumunt: ſicut & vniuerſa res Catholica, ac Chriſtiana, poſtquam ſanguine ſemel fundata, ſtabilita, ac lōngè lateq; propagata eſt. Nam & Religionis puritas, & ornamenta templorum, ac triumphus Eccleſiaſticus potiſſimùm in pace reſplendet: vt meritò poſſit malè Catholicus haberi, aut eo ipſo quis agnoſci non eſſe Ieſuita, ſi pacem bello non præferat.

Societatis Ieſu conatibus p'us ferè bella & ſeditiones obſtarent, quàm vlli hominū congregationi.

Et quoniam illam communem totius Chriſtianitatis pacem iam pridem amiſimus, pacis amantibus illud ſaltem conuenit, vt qua poſſint ratione, beatam quietem in ſua patria interturbari non ſinant; ſed vnitatem ac tranquillitatē perpetuam conſeruent: Hinc igitur etiam illa eſt Ieſuitarum & Catholicorum fides: ſi quo in Regno floreat ac vigeat pax, illi Maiorum noſtrorum ætati ſimilis, vbi ſcilicet omnes vna Catholica Religione DEVM venerētur & colant,

Sententia Catholicorum & Ieſuitarū, de vna Catholica Religione, vbi id fieri poteſt ſeruanda:

& de hæreſi ac hæreticis tolerãdis aut exigendis eadẽ, & quæ.

lant, ac Romanam Eccleſiam tanquam matrem (rideat & ringatur licet Polycarpus) agnoſcant: ibi eam tranquillitatem ac vnitatem Catholicam ita conſeruari debere, vt ne minimum quidpiam admittatur, quod eam diſſoluere ac perturbare poſſit. Ac ſi quis illic ſeditioſus exiſtat, qui noua ſacra, nouos ritus, nouum Euangelium introducere velit, eum excludendum, eijciendum: aut ſi rempubl. turbet, vel ſeditiones moturus timeatur, etiam cum ignominia repellendum: Quòd ſi non ceſſet, etiam vita ac ſanguine ſcelus illud ſeditionis expiandum eſſe. Atque hic quantumcunque nos crudeles exclament Polycarpus ac Prædicantes eius, tamen hoc à noſtris Theologis ſatis eſt probatum: nempe hæreticos, etſi nulla vi ad credendum aliud quàm velint, cogi poſſint; tamen, ne ſuam Impietatem prodant, alióſve doceant, & reſpublicas turbent, minis ac ſupplicijs adigendos eſſe, ſi cætera leuiora medicamenta ſpernant. Quare, quod in quibuſdam Regnis ac Prouincijs in hæreticos inquiratur, ac ſi turbare deprehendantur, ſuppliciũ ſtatuatur, rectè fit, & Scripturæ ſacræ, ſacriſque Canonibus cõſentanea ratione. Nec plus hæc ſeueritas crudelitatis habet, quàm ſe ſeditioſi aliqui, atque ad defectionem cæteros ſolicitantes, capiantur, exulare, aut etiam pro grauitate criminis trucidari iubeantur. Nam illud etiam animaduertendum eſt, quamdiu ſeditioſorum hominum conatibus reſiſti poteſt mitioribus ac leuibus pœnis, tamdiu ab acerbioribus remedijs, ſectione ſcilicet & vſtione abſtinẽdum: Verùm vbi vitium tenacius inhæſerit, & radices altiores egerit, etiam ferro præſcindendum eſſe. Poſſe autem in aliquo Regno ſine ſanguine Catholicam fidem, eamque vnicam conſeruari, multæ ditiones ac prouinciæ ſub Auguſtiſſimo Auſtriacæ familiæ imperio; tota noſtra Bauaria, & plurimæ etiam ditiones aliorum, Eccleſiaſticorum præcipuè Principum docent: in quibus nulla in vllum crudelitas exercetur, & puritas nihilominus fidei conſeruatur, quamdiu inuigilatur, ne ſeditioſorum hominum conatus eò irrepant. Atque conſtat quidem in eiuſmodi locis, & viuere,

Diligentia Catholicorum Principũ laudanda in conſeruanda fidei puriſsima veritate.

fiere,& in precio eſſe Ieſuitas; neq; tamen vllius ex his Prouincijs pacem turbaſſe; quid enim Polycarpe? an tu cenſes iniuriam tibi futuram, ſi ad Sereniſſimorum, vel Auſtriç, vel Bauariç Principum ditiones, aliquid rerum nouarum moliturus, aut fidem nouam populum edocturus accedẽs, punireris? Certe quamuis exulare tunc iuberêris, aut ignominia afficerêre publica, merito id fieret tuo: quia quocunque perueniſtis, tumultus ac ſeditiones & inobedientiam erga Magiſtratus concitaſtis: quod nunquam neq; vſquam fecerunt Societatis IESV Patres, qui etiam ſub Tyrannis, & perſecutoribus, fidem Catholicam Romanam; non alienum, ſed proprium ſanguinẽ fundendo, propagare: & eoſdem, tam Catholicos Chriſtianos, quam obedientiſſimos, etiam Ethnicis Dominis, clientes efficere, vel ſola Iaponia teſtificante, nouerunt. Hoc igitur aperte docemus ac profitemur, Catholicis obſtãdum eſſe Principibus, ne clam vel palam hæreſes in eorum ditiones irrepant.

In quibus locis hæreſes inualuerũt, quid agendũ, vt quietè viuatur, & ſine ſanguine ac ſupplicio hæreſis labefactetur.

Quod ſi verò aliquæ Regiones vſque eo iam ſint deprauatæ, vt maior vel magna certè earum pars hæreſi infecta ſit, eas quidem certũ eſt minus quieta ac diuturna pace fruituras: neq; tamen monent Catholici vel docent, vt omnes hi clàm aut palàm, vel à milite, vel à carnifice, occidantur: ſed quoniam tolerandi ſint, hoc ſuadent Catholici Doctores & Ieſuitæ: Coerceantur Hæretici & Prædicantes, vt ijs, quæ habent, contenti ſint: ne velint abrogare cultus diuinos: non ſpoliare Catholicorum templa: non vaſtare & occupare Monaſteria, non Virgines DEO ſacras proſtituere permittantur: compellantur eandem perpetuo Religionem profiteri: non mutare formas fidei, atque credendi; ſi Lutherani ſint, caueatur ne fiant Caluiniani; aut ex iſtis Athei. Atq; hic quoq; modus ſine ſanguine hæreſes, vel extingueret, vel labefactaret. Non enim poſſunt eſſe conſtantes hæretici, aut idem aliquod dogma perpetuò profiteri: quia cum ſuo quiſq; è cerebro fidem ſibi cudat, quã nomine Verbi DEI venditet, fit, vt vix vllus Prædicans reperiatur, qui idem credat hodie, quod antè mẽſem profeſſus eſt. Si verò

ij, qui-

Maxima iniquitas hæreticorũ & frigidorum Catholicorum qui Catholicos debere ſilere, non repugnare hæreticis exiſtimant donec omnia ab ijs occupentur.

ij, quibus hæc libertas aliam fidẽ à Catholica Romana profitendi facta eſt, etiam turbas ciere, ſi de poſſeſſionibus antiquos poſſeſſores ac legitimos Dominos; Sacerdotes ex templis; ex Monaſterijs Religioſos eijcere conentur, cur vim vi repellere non liceat, & ſeditioſos turbatores armis in ordinem redigere: eamq; libertatem, qua in perniciem aliorum vtuntur adimere?

Iterum explicatur animus Ieſuitarum in hæreticos.

Ex quibus facilè iam deprehenditur, quæ ſit Societatis IESV mens, de Proteſtantibus ac Euangelicis in Imperio, quidnã ijs fieri velit, aut optet. Hoc enim optat: Primùm, vt omnes hæreſes intereant, ne quis propter eas vel corpore vel animo pereat: Vt omnes ad vnitatem fidei & Religionis Catholicæ redeant ac reſipiſcant: Deinde, vt nullum Prædicantium ſol aſpiciat; ſed aut cõuertantur ad ſalutem, aut ſaltem in officio ſic cohibeantur, vt ſua ſorte contenti populum in Catholicos non inſtigent; & ſi ſecus faciant, ac pacem perturbare nitantur, etiam puniantur. Præterea, vt Proteſtantes cum Catholicis humaniter, amicè, pacificè viuant, atque vt vnitate Catholica iam amiſſa, ſaltem Ciuilis ac Chriſtiana cõcordia in Imperio ſeruetur: nihil contra fidem datam, aduerſus legitima pacta, conuenta, fœderaq; comitiorum Imperialium ſuſcipiatur. Hæc Catholicorum omnium, hæc Ieſuitarum mens ac ſenſus eſt. Omnẽ doctrinam, quæ non ſit Catholica, deletam cupiunt, ſed nõ armis: Verùm potius ſplendore doctrinæ Catholicæ, exemplis ſanctitatis ac innocentiæ: aut diligentia, vigilantia ac ſolertia Magiſtratuum Catholicorum. Sanguinem Proteſtantium adeò Ieſuitæ non ſitiunt, vt pro eorum ſalute, non dubitarent multi etiam proprium ſanguinem profundere; duriſſimos labores & cruciatus ſubire. Hæc enim ego de Societatis IESV Clericis polliceri poſſum. Simul illud alta, planaque voce pronuncio: Nulla in Imperio extitiſſe hactenus exempla bellorum, quæ vel Ieſuitarum, vel aliorum Catholicorum conſilio, à Magnatib. & Magiſtratibus Catholicis, contra Proteſtantes ſolius Religionis cauſa ſint ſuſcepta, ſed ſemper laceſſitos duntaxat Catholicos, ab inſulti-

ſultibus tantum improborum ſe tutatos eſſe, & ſæpius iniuriam paſſos, nunquam intuliſſe.

Comparatio hæreticorum cũ Catholicis in fide & in factis.

Comparemus nunc, ſi placet, cum hac fide & animo Catholicorum Ieſuitarumque; fidem ac ſententiam Proteſtantium; tùm etiam bella ab his & illis inuicem geſta perpendamus: apparebit ſanè, qui ſint Rerumpub. perturbatores, qui belli tubæ, faceſque. Primùm, illud eſt admirabile, quòd hi tam clementes atque mites Euangelici doceant, ac clament contra Doctores Catholicos & Eccleſiam, fidem liberam eſſe; conſcientias non cogi aut conſtringi: neminem ad fidem & religionem vi aut ſupplicio trahi; verbo DEI, contra errantes, non gladio, non laqueo aut igni, pugnare oportere. Itaque indignantur & horribilibus calumnijs Catholicos inſectantur, qui contrarium docendum & faciendum cenſent. Verùm in hac re illud accidit: Nos Catholici, præſertim in Imperio, verbis ſeueritatem, & pœnas in contumaces Hæreticos præferimus: reipſa manſuetudinem & patientiam. Hæretici è contrariò ſermone blandiuntur, & factis lædunt innocentes Catholicos. Nonnè in multis ciuitatibus ac Prouincijs Imperij, etiam in quibus plures & meliores ſunt Catholici quàm Hæretici, libera eſt Religio? Nonnè multi Principes Catholici in ſuis ditionibus ac Regnis locum dedêre & templa permiſêre, Lutheranis, Caluinianis, Anabaptiſtis, alijs Hæreticis? Nonnè vbicunque nonnihil virium ſumpſit aliqua Hæretica factio, illic tandem obtinuit libertatem? Atqui Catholici ſentiunt alioqui, vi quoque & ſuppliciis in ordinem cogendos hæreticos. E contrariò, vos qui fidem docetis, ita liberam eſſe debere, vt nemo propterea, quòd aliam ſectam, quam eius Principes & Magiſtratus, ſequatur, aut in exilium mittendus, aut vlla moleſtia afficiendus ſit; Vbi, quæſo, per Deum immortalem, hanc libertatem vos Catholicis permittitis? Vnum mihi locum in Imperio oſtende, in quo ſi dominentur, aut ſummum Magiſtratum gerant Hæretici, hanc libertatem, quam ipſi petunt, & à nobis ſæpe impetrant, Catholicis relinquant? libertatem quidem hæreſium quibuſdam

Prædicãtiũ ſumma eſt vt quilibet quod ſibi bonum videtur, credat.

Iniqua illorum Proteſtantium petitio, qui in ſuis terris nullum Catholicis locum ad exercitium religionis relinquentes ſibi apud Catholicos omnia eſſe libera cupiunt.

locis relinquunt,& varias, multiplicesque ſectas. Sed nuſquam ibi,vbi ſumma penes Lutheranos,Caluinianos, aut alios Sectarios auctoritas ac poteſtas eſt, Catholicis locus eſt. Nonnè vos, profligatiſſimi Prædicantes, cùm primum aliquis Magiſtratus in Imperio Catholicam Religionem deſeruit,auctores fuiſtis,vt ſpoliarentur templa, eijcerētur Sacerdotes, vaſtarentur Monaſteria,conſtuprarentur Moniales,cætera fierent,quæ facta ſunt, quæ nunquam ſatis deplorari poſſunt. Vos vbicunque eſtis, vbicunque Euangelium veſtrum prædicatur, à Catholicis recepti eſtis,illorum templa occupaſtis; Catholici vbicunq; templum petunt, quod ipſis à maioribus ad hunc cultum, ad hęc ſacra conſtructum eſt. Catholici vobis propria templa conceſſerūt: in quę vos nunquam amplius illos admittitis; nec ſi noua conſtruere vellent,concederetis. Velim profectò hæc attentius conſiderarentur: indigna videretur res, & deflenda pijs. Nos libertatem verbis adimimus; re, propter pacem, concedimus: Illi libertatem verbis pollicentur,reipſa omnem eripiunt,præſertim Catholicæ fidei. Ego certè ex animò commoueor & doleo. Quare nobis Catholicis non eodem iure eſſe liceat, quo hæreticis, nempe vt ſolùm noſtrā, (quam Patres veſtri obuijs vlnis à ſuis maioribus acceptam nobis tradiderant) Religionem, noſtris in Prouincijs defendamus,nec alienas Sectas admittamus,quas communes noſtri Maiores damnârant? Vereor profectò ne lenitate ſit à nobis erratum nimia.

Catholicorum tēpla, ab hæreticis iniquè & per vim vbique ferè occupātur.

Si liberam oportet eſſe Religionem,quare vbicunq; ferè ſunt hæretici,illic null⁹ eſt locus Sacerdotibus, Monachis, aut Monialibus, nedum Ieſuitis? Quare vbi propter Superiorum Magiſtratuum, aut Imperatoriam Auctoritatem paucula ſuperſunt Monaſteria aut templa Catholica, in ijs cultus diuinus interdicitur? Quare conciones prohibentur? Quare nec priuatim quidē quibuſdam Religioſis tanquam in carcere clauſis, Sacramentorum fructus, vel in extremis conceditur? Eſto. Principibus Proteſtantibus hoc liceat; vnam in ſuis ditionibus tueri Religionem: Hoc enim obijcies

Huius ſunt plurima exempla non [illegible] in ditionib. Principum Proteſtantium: ſed in pleriſq; ciuitatibus imperialibus.

ciet Polycarpus, & adducet exempla Catholicorum Principum, qui omnes hæreſes exigunt: quanquam hoc diſcrimen eſt, quòd Proteſtantes ferè Catholicos omnes excludunt: plerique autem Principes Catholici multos ex Hæreticis ſub ſua ditione liberè viuere ſinunt. Quid verò dicetur de Rebuſpub. de liberis Imperij Ciuitatibus? Si ſecundùm decreta & cõuenta vtramq; oportet eſſe Religionem liberam; quare ergo multis locis coguntur homines ad cõciones, ad conuenticula Lutheranorum? quare nec angulus vlli Sacerdotum conceditur, in quo Miſſas celebret? aut quare non pari cum Lutheranis & Proteſtantibus fruuntur libertate Catholici? quare? fortè inuenietur, qui dicat, Catholicam fidem Idololatricã eſſe? ſcelus hominis, an quia ita tibi videtur, talis etiam eſt? Etiam Catholicis Imperatoribus dogmata veſtra hæretica viſa ſunt: nihilominus veſtris libertatem conceſſerunt. An quia minus pacifici ſunt Catholici? Atqui penes Magiſtratum eſt, coërcere improbos aut rebelles. Quid igitur cauſæ adferetis, niſi hanc vnicam, vobis ita libere; nec cum Catholicis velle aut poſſe vos viuere, cùm tamen ipſi hoc velint, ac poſſint: & reipſa, multis in locis, benigniſſimè vos tractent. Verùm enimuero vos hæretici ſic comparati eſtis, vt Catholicorum vel veſtigia execremini.

De Autonomia ſeu libertate Religionis quo ad aditus ad honores ſacros Eccleſiaſticos. Vt Eccleſiaſtica bona poſſint ſenſim occupare Proteſtãtes vbique conſcientiarum libertatẽ affectãt.

At vrgebit aliquis, illam libertatem, qua Hæreticis etiam ad ſacras dignitates aditus pateat. Quaſi verò hæc libertas ſit. Hæreticorum quidem hæc licentia eſſet, Catholicorum æterna ſeruitus; nec vlla ratio excogitari poteſt facilior ac promptior, totam Religionem funditus tollendi, quàm ſi hæc libertas concedatur; ſi pro Catholicis ſacriſque hominibus; Hæretici profani nobis ſint venerandi. Ita ſcilicet rem Catholicam curabunt iſti, ſicut lupi oues, &c. Præterea, qua conſcientia aut fide freti, has dignitates ambiunt, qui dignitates ſacras contemnunt & irrident? Inſtitutæ hæ ſunt, vt Sacrificia offerantur pro viuis atque defunctis; vt DEI, Sanctorumque cultus & honor conſeruetur ac augeatur; vt pſalmi, precesque ſtatæ die noctuq; decantentur, vt

certi homines diuino cultui deſtinentur; nunquid Lutherani, Caluiniani, cæteri Proteſtantes, Sanctos inuocare ac colere: pro vita functis precari, certis temporibus pſallere, ac intereſſe diuino cultui, eique ſe totos conſecrare & cœlibes viuere poterunt? An Sacerdotum, Canonicorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiaſticorum functiones obire, parere præceptis Eccleſiæ, obedire Summo Pontifici, Epiſcopis, alijſque Magiſtratibus Eccleſiaſticis, obtemperare deſiderant? Nam hæc ſi facient, proteſtari deſinent: ſi in hæreſi perſiſtent, ſimilia exequi neque volent, neque poterunt. Non volent, quia noſtra ſacra & cæremonias Hæretici execrantur. Nō poterunt, quia noſtris myſterijs non erunt initiati. An Chriſtianus aliquis, apud Turcos Poparum; apud Indos Brachmanarum, apud Iapones Bonziorum honores appetere audeat? Certè noſtri ritus atque cultus Hæreticis, Ethnici & Idololatrici videntur. Non ſunt quidem tales, vt ſatis probatum eſt à noſtris. Sed cum Hæreticis abominanda ſint noſtra myſteria, cur eorum tamen appetunt Sacerdotia? Cur nō ea Idololatris relinquunt? an & ipſi Idololatræ, ob pecunias & redditus fient? Quid hinc concludas, niſi ſuam cuique Hæretico cupidinem, DEVM fieri: neque Religionem ac pietatem quæri: ſed ſub hoc velo & vmbra, ſaturitatem atque voluptatem: & ſacrorum omnium interitum?

Seditionum ac bellorum omnium in Imperio faces eſſe Prædicantes & Hæreticos. Vide commentarium Surij, Michaelem ab Iſſeldt, Incendia Caluiniſtic. b-

Seditionum porrò, tumultuum ac bellorum, tùm Ciuilium, tùm exterorum qui fuêre auctores; Nonnè Hæretici? Tùm in Imperio, tùm extra illud: in Gallia, in Belgio, in Anglia, in Germania. Dicet fortè aliquis: Ideò hæc mouerunt, quoniam libertas eis credendi nō permittebatur, quaſi verò teneantur omnes Reges ac Magiſtratus hanc hæreticis licentiam cōcedere, & priuatorum hominum fictam conſcientiam publicæ paci ſalutique anteponere. In Imperio autem, lociſque quibus hæreticis libertas credendi conceſſa eſt, vbi neque vi, neque ſuppliciis ad Catholicam Religionem compelluntur, vnde bella exorta ſunt, niſi quia non contenti libertate, etiam in bona Catholicorum & Eccle-

Eccleſiaſtica inuolabant, ſuiſque facinoribus non conſentientes Catholicos, vexabant, torquebant, occidebant. No lite enim dubitare, nunquam hæreſis quieſcere, aut ſuo loco firma ſtare poteſt, ſed vt animos, ita corpora ac bona Catholicorum depaſcere conatur. Si verum eſt, omne ferè bellum inter Chriſtianos Principes hoc tempore cum Hæreticis eſſe: ſi verum eſt, ipſos Hæreticos non niſi fidei cauſa in armis eſſe: tum etiam verum eſt, Hæreticos omnium horum bellorum cauſam eſſe. Nam vbicunque ſunt, aut erunt conſtantes Catholici, illi dum ſua in pace poſſident, & Religioni priſcæ inhærere quietè permittuntur, nullam cauſam habent, cur cuiquam bellum inferant. Illi autem, quibus Catholicam Religionem florere ac vigere non expetit, res nouas moliuntur, ac Catholicos petulanter aggrediuntur: eoſq́; antè perſequi non deſinunt, quàm omnia etiam priſcæ pietatis veſtigia deleuerint. Quod ergo Gallia, Belgium, & proh dolor, Germania multis locis ardeat, cauſa eſt, non Religio Catholica: ſed illa, quæ cùm noua ſit & inaudita; pari cum illa vera & antiqua noſtra fide, vult loco ac dignitate eſſe; & alterius, quàm deteſtatur, bonis ac poſſeſſionibus frui, noſtraque templa ac Sacerdotia occupare nititur; quæ tamen tanquam Idolomanica, Antichriſtica, ac Diabolica antè execrabatur. Et cur non ipſi ſibi Hæretici poſteriſq́; Baſilicas ac Sacerdotia opulenta inſtituunt, vt nobis Catholicis Maiores noſtri? Neque verò ſi rem ac fidem Proteſtantium ſpectemus, illis indigent ipſi templis. Nam cæremoniæ & ritus omnes, ipſæque adeò Conciones ἀδιάφορα ſunt; omniſque eorum cultus eſt in verbo DEI, quo ſe potiſſimùm conſolantur ac tuentur. At ſuum illud Verbum habere poſſunt ſine templis, ſine concionibus, ſine interpretibus, cùm clariſſimum ſit & luculentiſſimum. Neque ſanè haberent, quod cum ratione reſponderent, ſi hæc illis, cùm ſuæ religionis, vt vocant, exercitium petunt, obijcerentur.

brum de Iuſtitia. Britannica, vãderum: librũ de perſecut. Anglicana & Theatrum crudelitatũ Hæretica.

Hæreticĩ ſemper volunt vincere nũquam vinci.

Inaudita crudelitas Hæreticorũ

Crudelitatem verò in bellis, tùm inteſtinis, tùm exteris, non eſt quòd Catholicis exprobrent Hæretici. Notũ enim

Vide Authores paulò ante citatos.

eſt, quanta amentia ſint vſi, non in Victorijs, quam vix vnquam legitimam adepti ſunt; Sed in deprædationibus, de quibus niſi integri libri ſcripti eſſent, ita profectò dicerem, vt omnes aſſentirentur, inauditam eam eſſe crudelitatem & perfidiam; Vbi pro minimo erat vaſtari templa, conculcari ſacra, diripi altaria; affigi ad terram, confringi, comburi ſacras imagines infantes ac ſenes, omnis ætatis ac ſexus dignitatiſque homines, lanceis, gladijs, alijſuè telis, aut æneis globis transfigi. Fœlicitas hæc magna erat & clementia militum Lutheranorum & Caluinianorum: quam multi implorabant: quoniam pleriq; ita feriebantur, & ſupplicijs excarnificabantur, vt ſe mori diu ſentirent: inter ſupplicia tabeſcerent, membratim perirēt, & quaſi per ſtillicidia animam amitterent. Itaque poſt carceres, poſt contumelias, poſt ſupplicia horrenda de turribus præcipitati; in mare demerſi, viui terræ infoſſi; alij metas ludentibus, aut ſcopos iaculantibus præbuerunt; globis alij ligneis, alij igneis, alij ſagittis lentè occiſi: alijs genitalia abſciſſa, aliaq; membra, eaq; deuoranda data, vel in fauces intruſa: tum ventre diſſecto iterum extracta ſunt: alij beſtijs pabulo & cibo fuêre.

Inſignis Hæreticorum impietatis & crudelitatis in Catholicos exempla ſunt vbiq;.

Hæc non vni hominum generi facta, ſed omnibus, qui Catholicos ſe conſtanter profiterentur, præcipuè verò Sacerdotibus, Religioſis, Monachis, Ieſuitis. De Virginibus ac Matronis honeſtiſſimis, religioſiſſimis, horret animus meminiſſe; obſtupeſcit lingua: nec ſinit aut meus aut veſter pudor commemorare. Sed nihil in hoc genere vllus Phalaris aut Scinis, aut Buſiris excogitauit, quo non immaniora, turpiora, horribiliora, in Gallia, Anglia, Belgio, Germania & Alſatia nuper Hæretici perpetrârint. Et adhuc tu mihi Polycarpe Catholicorum crudelitatem exprobrare audes: cùm illi nulla vobis bella intulerint, ſed contra veſtras tantùm deprædationes ſe protexerint. Illos oportet ſupra humanum & ferinum modum crudeles eſſe, qui in truculentia ſua glorientur, & magni videri volūt: qui nouū ambitionis & gloriæ genus ſunt cōmenti, quādo ex humanis occiſis corporibus abſciſſa membra velut ſpolia & ornamenta dignita-

genitatis ex collo ſuo & equorum ſuſpẽderũt. Sed nõ poſſum hac de re plurib. ſine incredibili animi dolore memorare.

Non eſt igitur quòd Prædicantes ac Polycarpus Catholicis, ac præſertim Ieſuitis immanitatem obijciant. Nam ſi Lutherani ac Proteſtantes in Imperio pacificè viuant, cum Catholicis; ſi non ſibi aliena vendicare tentent, nullo armorum terrore cõcutietur Germania: Video, video quam pacem Polycarpus expectat: Eam ſcilicet, vt ipſi, ſuique ſimilibus agere, credere, profiteri, quod libeat, liceat: vt omnia templa, Monaſteria occupẽt, Sacerdotes, Ieſuitas, Monachos expellant atque trucident. Idololatriam, vt vocãt, Papiſticam impunè ac conniuentibus Catholicis exterminent. Tunc ſcilicet pacem nobiſcum habere voluut, cùm nulli Catholici erimus. Nos Catholici erimus. Nos Catholici, quæ in Imperio Sectarij poſſident, pacificè poſſidere ſinamus, dum ipſi etiam noſtra non affectent, non diripere & auferre noſtram quoque libertatem conentur.

Hæretici nõ deſiderant pacem cum Catholicis, niſi penitus deletis antiquis ſacris.

Tum Polycarpi opinione pax & concordia ſequetur, quando Catholici ſua fide negata hæreticorũ facti fuerint vilia mancipia.

Verùm tæterrimi ac rabioſi Prædicantes, nobis omnem libertatem ademptam volunt, & quamdiu non ita dominantur, vt Catholica ſacra ac homines extinctos videant, tamdiu vera libertate ſe perfrui non credunt: ſiue ex odio & inuidia, qua alienam fœlicitatem tãquam ſeruitutem propriam intuentur: ſiue ob furiatam flagitijs mentem, qua ſicut Tyranni, Regias ſtirpes exſcindere; aut quemadmodũ furioſi Magiſtratibus ac Iudicibus vitam eripere conantur: ne exiſtat aliquando, qui eorum perfidiam aut prodat, aut vindicet, atq; vlciſcatur. Hæc cauſa eſt, cur toties ad ſuos de Catholicorum & Ieſuitarum inſidijs ac crudelitate verba faciant, quò perſuadeant ſcilicet miſeris Hæreticis, neq; ſe, neq; ſua, Catholica Religione florente, ſalua eſſe poſſe. Atqui hæc ipſa temporum noſtrorum confuſio & calamitas docet, nunquam vllorum aut Lutheranorum, aut aliorum Hæreticorum ditiones; Reſque publicas beatiores futuras, quàm fuerint olim, quando vnam nobiſcum Eccleſiam conſtituebant. Non reformido quorumcunque etiam Proteſtantium, Ordinum hac in re iudicia, dummodò rem ipſam

Prædicãtes perſuadent ſuis ſalua Religione Catholica non poſſe florere & liberos eſſe Proteſtantes.

ipſam potius conſiderent, quàm perfidis ac coniuratis Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus credant.

Catholici ſeruant pacta cū proteſtantibus firmata. Vtinam idē præſtitiſſent hæretici.

An quicquam iniquum à Proteſtantibus poſtulamus? Vbi iam Catholicam Religionem exterminarunt, viuant, & ſi fieri poteſt, etiam fœlices ſint in opinione ſua: nullam illis Catholici exhibebunt moleſtiam: ſed patiantur, quæſo, æqua condicione eſſe Catholicos, qua eſſe volunt ipſi Proteſtantes. Hoc ſanctè polliceri poſſem, Ieſuitas nulli Regno, Prouinciæ, Ciuitati, ſeu Lutheranæ, ſeu Caluinianæ pacem inuidere: nihil vnquam contra eos moliri imò nullius hominis, ne nequiſſimi quidem Prædicantis, aut ipſius Polycarpi necem optare. Quòd doleant, quòd ingemiſcant, hæreſes atque errores magnos in locos atque ditiones Germaniæ nobiliſſimas irrepſiſſe: quis nō laudet potius quàm miretur? Quòd ſi etiam conarentur ad veram fidem aliquos clàm, palam, reducere; quis meritò reprehendat, cùm id faciant fiducia veritatis, non armis, non cruentis aut ſeditioſis conſilijs? Nam illi, quos Ieſuitæ docent & erudiunt, ſiue in literis, ſiue in religione, fiunt meliores & obſequentiores, etiam erga Magiſtratus infideles & hæreticos; nequaquam autem peruicaces aut contumelioſi in Dominos ſuos ac Principes: quales facit Euangelium Lutheri. Atque ex his omnibus de toto genere conſiliorum, concionum, ac ſtudiorum euertendæ omnis ſectæ & hæreſeon: propagandæ autem ſolius Religionis Apoſtolicæ & Catholicæ, quæ ſit voluntas ac votum Catholicorum hominū & ipſorum Ieſuitarum, prudentes iudicare poſſunt. Meritò autem Polycarpus, & omnes cæteri, qui tātorum ſcelerum ac proditionis Ieſuitas innocentes arguunt, exoſi eſſe debent, propter tantam maledicendi & calumniandi impudentiam; maximè verò quòd hæc iniuria non in Ieſuitas ſolùm, ſed in ipſos etiam Sereniſſimos Imperij Principes, ac Ordines Illuſtres grauiter incurrat, de quo nunc eſt explicatè diſſerendum.

Calumnia Polycarpi

Ac primùm quidem, quoniam ſæpè & inauditis contumelijs appellat Ieſuitas Polycarpus; ſi Ieſuitæ *beſtia Romana*, ſi

Sodomitæ

Sodomitæ ſunt, ſi ſceleribus ſcatent, à planta pedum vſque ad ſupremum capillum capitis, non aliter quàm putridus caſeus (hac enim tam feſtiua ſimilitudine diſertus homo vtitur) *putridis vermibus, ſi ſunt Furiæ, ſeditionum, motuum, turbarum faces, ſi Ethnicis & Turcis crudeliores, ſi Fratres Turcæ, ſi Germaniæ, Principum & Imperij proditores, ſi Rerumpublicarum bronchi, ſi prædones publici*: nonnè horum omnium criminum participes erunt Inuictiſſimus Imperator, Sereniſſimi Auſtriæ Archiduces, cæteriq; Imperij Sereniſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, Illuſtres Ordines, ac celeberrimæ Reſpub. in quib⁹ Ieſuitæ non ſolùm viuunt, ſed etiam amantur atq; fouentur. Prædones, proditores in Imperio alere, nonnè crimen læſę Maieſtatis & perduellionis eſt? At hos alit Imperator, Principes, Reſpublicæ plurimæ, maximæ, nobiliſſimæ; Ergo hi omnes Maieſtatem Imperij minuunt, ac perduelles ſunt? Fortè excuſabit hos Polycarpus, quod etſi proditores hos alant, tamen eis non obſequantur. Atqui hoc ipſum nefas eſt. Proditores enim non tantùm non audiendi, ſed etiam puniendi & ſupplicijs mactandi ſunt. Nam qui punit, ille etiam id efficit, ne cæteri proditorem audiant & obſequantur. Ac ne quis fortè dicat, proditores quidem eſſe Ieſuitas, verùm tales non cognoſci, illud addit: *Literis & Epiſtolis ad Imperatorem & Principes, eos cruenta conſilia dare, & cædem ac internecionem omnium Euangelicorum ac Proteſtantium ſuadere, eoſq; ſolicitare ad fidem, pacem, fœderaq; cum Catholicis perrumpenda.* Obteſtor fidem ac ſapientiam veſtram, Inuictiſſime Imperator, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, Illuſtres Ordines: an hæc vnquam in Ieſuitis experti ſitis? Quòd ſi talia conſilia agitare Ieſuitas ſenſiſſe, vos affirmabitis; deſiderabit populus Germanus, ſeueritatem veſtram in puniendis ſeditioſis Ieſuitis. Sin verò, vti certò ſcio, ipſi vos Ieſuitis innocentiæ hac in re teſtimonium perhibueritis, implorabunt omnes Catholici auctoritatem veſtram, qua tanto Calumniatori ſub nomine Ieſuitarum totum Imperium, eiuſque columnas infamanti, ac ſubruere conanti, ſilentium imponatis, eumque pro dignitate poteſtateque veſtra, meritoque ipſius puniatis.

in Auguſtā & Imperatoriam familiam. Hiſt. Ord. Ieſ pag. 83. 124 125 & alibi ſæpe.

Non ſolùm qui peccāt, ſed etiā qui conſentiunt peccātibus, rei ſunt.

Hiſ. Or. Ieſ. pag. 124.

Aliam calumniam Sereniſſimos Imperij Principes, largitionibus Ieſuitarũ & Summi Põtificis corrumpi.

Sed ſupereſt alia communis vobis omnibus, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & Illuſtres Ordines, calumnia; qua vos exornat Polycarpus, Ieſuitæ apud Romanum Pontificem cauſas veſtras agunt, ab eo vobis ingentes auri & argenti theſauros, priuilegia ac neſcio quæ decora impetrãt; quæ vos accipitis, vt in perniciem omnium Proteſtantium cum Papa coniurationem faciatis: Ob hanc auaritiam & munerum cupiditatem Ieſuitis ſeruitis, Collegia ædificatis; quod cùm facitis, illi vos Papæ commendant; tùm Papa vos magnis muneribus remunerat, vt eò promptius deinde Germaniæ perniciem moliamini. Moriar Sereniſſimi Principes, Illuſtres Ordines, niſi hæc omnia vobis ſceleratiſſimus affingit. Vos enim eſſe dicit, *qui muneribus corrupti Ieſuitas pro arbitrio graſſari permittatis.* Verùm ne fingere quicquam, vel amplificare verbis videar, audite Inuictiſſime Imperator, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & Illuſtres Ordines, quid & quomodo dicat: *Principes*, inquit, *à Papa* CORRVPTI MVNERIBVS, *& territi illius potentia, ſua auctoritate & legibus, ſubditos ad colenda Idola Papiſtica impellent, tergiuerſantes punient, pelle detracta eos excoriabunt, & oſſa eorum confringent & concident ſicut in lebete.* Alibi verò cùm multis verbis antè conatus fuiſſet oſtendere Ieſuitâs Ethnicis deteriores, ſic inquit: *At Ieſuitæ Imperatoriæ Maieſtati & multis Principibus Germanis Auctores ſunt, vt fidem iuratam, & Religioni noſtræ in publicis totius Imperij comitijs ab omnibus Ordinibus datam & confirmatam violent.* Duplex Calumnia; Altera in Ieſuitas; Altera in Imperatorem ac Principes. Illi ſuaſores & Conſiliarij ſcelerum: Hi verò ſunt, qui conſilia hæc audiunt, eorumque ſuaſores & auctores benignè tueantur & foueant. Sed animaduertit ipſe Calumniator magnitudinem calumniæ. Mitigare igitur conatur (DEO *tamen*, inquit, *laus, quòd iſtorum malis ſuggeſtionibus non locum dant*). Audite Inuictiſſime Imperator, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, Illuſtres Ordines: laudat vos Polycarpus, quòd fidem Proteſtantibus datam ſeruetis: quamuis contrarium Ieſuitæ vobis ſuadeant. Sed iterum quærit ex vobis, nam Magiſter ac Cenſor veſter eſt. *Haſnè furias* (Ieſuitas) *ſeditionum & motuum publicorum ac turba-*

Hiſtor. Ieſ. pa. 32. 122. 138.

Pag. 146.

Pag. 146.

Pag. 126.

turbationum Eccleſia in medio Germaniæ ferre æquum eſt? Ecce iniquum cenſet hos tolerari. Imperator ergo, Principes, Ordines, iniqui, iniuſti ſint, quia Ieſuitas tolerant ac nutriunt? aut viuere in Imperio ſinunt. Deinde pergit in Ieſuitas debacchari ac clamare, *eos eſſe faces & tubas bellorum.* Ita ergo Polycarpus Imperatores, Principes, Ordines, tanquam in ſuam diſciplinam traditos ob iniquitatem, negligentiamque ſalutis publicæ caſtigat ac reprehendit. Vtinam Furius Camillus aliquis exiſteret, qui huic monitori & Magiſtro digna præmia largiretur.

Porrò nedum omnino calumniarum in Imperij capita ſatur eſt Polycarpus: etiam illud eis probro obijcit, quòd Italos & Hiſpanos Papæ Romano addictos, iuratos Germaniæ hoſtes, ſub Religionis prætextu in exitium Germaniæ introducant. Hæc enim calumnia in Ieſuitas detorqueri non poteſt, inter quos in Germania tota, vix paucu-los Ieſuitas Hiſpanos ac Italos, qui ibi perpetuò morentur, inuenire licet, & eos ipſos militiæ & armorum inexpertos. In Imperatores igitur & Principes hæc iacta eſt contumelia, qui in ſuis aulis Hiſpanos & Italos alunt.

Exprobat Principibus Polycarpus quòd in ſuis aulis Italos & Hiſpanos habeãt. Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 128.

Præterea non ſolùm calumniari, verùm etiam minari Principibus audet. *Quidam,* inquit, *Principes Germani, non vnum aut alterum, ſed iam vltra mille Ieſuitas intra ſuos terminos ferunt: qui etiamſi* VIDEANT DAMNA (notate Principes) *quæ Reipublicæ, Eccleſiæ, & Oeconomiæ inferunt, non tamen mouentur; ſeriùs, quàm par ſit, euigilaturi, ſeptaque quod dicitur clauſuri, vbi gregem lupus diſsipârit & deuorârit.* De numero millenario non diſputabo cum Calumniatore. Hoc ſcio neminem Principem, ne ipſum quidem inuictiſſimum & Auguſtiſſimum Imperatorem in ſuis Regnis ac Prouincijs mille Ieſuitas numeraturum. Si ergo hoc voluit Criminator. Aliquem Principem eſſe, qui ſolus mille Ieſuitas aleret: mentiri voluit: ſi id ſignificauit, numerum Ieſuitarum in Imperij finibus millenarium excedere: Non quæram, an tot ſint, de quo dubitari poſſet, ſed ſignum eſt, voluiſſe Polycarpum, tunc pariter Imperatori, omnibuſque Principibus interitum

Socordiam Principum reprehẽdit Polycarpus Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 129

minari,propter Ieſuitas,quos in ſuis terris habent. Itaque contexuit calumniam, vt dubitari poſſit, an maior ſit calumnia, vel turpius mendacium. In hoc enim gloriatur. Ergo Polycarpi ſentētiā Inuictiſſimus Imperator ac Principes omnes dormiunt: Vident damna, quæ Ieſuitæ inferunt. Euigilate, euigilate, clamat Polycarpus, ni Regna ac Prouincias, populoſque veſtros diſſipari vultis. Quàm apertè vaticinatur? Quàm ſecurè minatur Polycarpus, quaſi de aliqua coniuratione, & imminente Germaniæ toti periculo conſtitutum quid haberet. Quid ſi ergo caperetur, torqueretur? fortè alicuius coniurationis ederet indicia. Quanquam quis cum Leyſero conſpiraret, quem ad peierandum, quàm ad coniurandum aptiorem eſſe ſuſpicor?

Cæcitatem & ſtultitiā obijcit Principibus Polycarpus impudentiſſimus.

Satis credo animaduertitur, quanti Polycarpus, eique ſimiles, qui ad hunc librum operam contulerunt, Summam Maieſtatem Imperatoriam, Auctoritatem Principum ac Ordinum faciat? qui tam audacter in eos inuehatur. Verùm ſitit ſanguinem Ieſuitarum, quo niſi guttur proluat, aut odio contabeſcet; aut ſi vixerit, Patronos Ieſuitarum criminari non deſiſtet. Vereor, ne & ipſe in ſacrum Romanum Imperium contumelioſius videar, ſi omnia verba, quibus Imperatoriam & Romanam Maieſtatem lædit, recēſeam.

Hiſt. Ord. Ieſ. pag. 83.

Quidam, inquit, *neſcio qua cæcitate, aut potius ſtultitia perculſi, Ieſuitas Eccleſiæ lupos, Patriæ locuſtas, Reipublicæ bronchos, ranas, verres prædones, ſeu vt verius, quod eſt res dicam, proditores & ſerpentes in ſinu fouent, alunt, augent, & ditant. Licet illorum dolos & fraudes, impoſturas & deceptiones, inſidias & proditiones & malas artes quotidie experiantur.* Statimq; pòſt eoſdem

Hiſtor. Ieſ. pa. 84. et 18

Ieſuitarum Fautores ac Patronos: *Amatores & Negotiatores illius Magnæ Meretricis*, quemadmodum ſæpè aliâs ſolet, appellat. Similia dicit alijs locis plurimis. Fruſtrà eſt, ſi horum verborum contumelias explicare coner: nihil enim ego acerbius aut grauius afferre potero. Caeci et stvlti Principes, Iesvitas, impostores, insidiatores, Reipvblicae pestes, proditores esse deprehenditis: et nihilominvs eos in sinv fovetis, alitis,

DITATIS: Ignoſcite quæſo, Sereniſſimi Principes, quòd iteratò verbis vtor belluæ iſtius: & quid tam mala lingua & procax mereatur, non ex clementia, qua iſti iam pridẽ abutuntur, ſed ex maieſtate & dignitate veſtra æſtimate.

Quis porrò dubitare poteſt, ſi quæ in locis ac Regnis Inuictiſſimi Imperatoris, ac in ditionibus Sereniſſimorum Principum, Ieſuitarum tyrannide, grandia ſcelera ac cruenta & proditoria facinora (de quibus hic ſemper loquitur) perpetrata ſint; ea ad ipſorum Principum, ſine quorum auctoritate ac iuſſu vel in Hæreticos, vel in Prædicantes, vel in alios quoſuis, nihil factum aut ſuſceptum eſt, contumeliam ſpectent? Citat autem ſæpè Viennam, Auſtriam, Græcium, crudelitatis ac Ieſuiticæ tyrannidis exempla, atque adeò Inuictiſſimum Imperatorem, Sereniſſimos Archiduces Auſtriæ, & totam eam Auguſtam Familiam crudelitatis ac tyrannidis accuſat. Eò ſcilicet homo abiectiſſimus & contemptiſſimus audaciæ peruenit; vt ſic ſcribat, quaſi ipſe ſit, cui Sereniſſimi Principes factorum ſuorum rationem reddere debeãt. Sed audi Polycarpe: Quid ſi nõ in Luthera nos, ſed in ſeditioſos, hi Principes animaduerterunt? Quid ſi quidam non quia nollent Catholici eſſe, ſed quia præter hæreſes, quas ſectabantur, rebelles erant, ſunt eiecti? Quid ſi ideò, quia alios quoque ſeducere, & pacem perturbare nitebantur? Quid ſi etiam ſolius hæreſis cauſa nonnullos, Catholici Principes ſuis ciuitatibus migrare iuſſerunt; vt ſcilicet & ipſi iure ſuo vterentur, quo vtuntur Proteſtantes, & aliam in ſuis ditionibus nollent Religionem ferre, niſi eam, quam ipſi profitentur? Nam certò ſcio, nec ipſos Illuſtriſſimos Principes Proteſtantes vitio meritò vertere Catholicis Principibus, quòd Prædicantes non ferant; ſicut nec Catholici Proteſtantibus moleſti ſunt, quòd Monachi, Sacerdotes expellãtur, aut Ieſuitæ in eorum ditiones non admittantur. Solus Polycarpus homo nihili ac nauci Prædicans is eſt, qui niſi in omnes Ciuitates admittitur, Principes ac Dominos earum tyrannidis & truculentiæ accuſet: Quanquam fama eſt, te deinceps non facilè quoquam receptum

Non eſt cõtentus calũniari Societ. ſed & Ordines præcipuos familias, ciuitates reprehẽdit Polycarpus.

Hiſt. Ord. Ieſ. pa. 19. & 126. 173.

iri, cùm ne à Patronis ac Principibus tuis criminandis, impurum os, & impudicam hanc manum abſtinere poſſis. Sed quid ago? Quaſi vlla ratione tibi homo importuniſſime reſpondendum potius ſit, quàm os hoc impudens & procax pugnis obtundendum.

Cōtumelia Polycarpi in Sereniſſimam familiam Bauaricam.
II ſ.or. Ieſ pa. 123 172 & aliàs ſepe.

Non parcit ergo familiæ Sereniſſimorum Archiducum, ſed multò minus Bauaricæ domui, cuius columen, Sereniſſimum ſcilicet Principem Guilielmum, Dominum & Principem meum benigniſſimum, pietate cōmemorabili Ducem, nominatim ſepè ridet, & grauiſſimè calumniatur. Dicit eum dementatum magicis incantationibus, in beſtiæ formam transformatum, quemadmodum Vlyſſis ſocij. Vocat eum inuidioſè, Bauariæ Dominatorem: adeò humanæ laudis cupidum, vt propter adulationes Ieſuitarum, multa impiè, iniuſtè, tyrannicè faciat. Quas ego tantas calumnias oratione non exaggero. Nam per ſe ſatis earum elucet atrocitas. Quòd ſi nullam aliam præter has, in Optimum ac Sereniſſimum Principem noſtrum effutiuiſſet; nihilominus capitis reus eſſet nequiſſimus Polycarpus, ſiue ſe auctorem harum criminationum fateretur, ſiue propagatorem tantũ diceret. Verùm non ſemel tantùm & vno loco, ſed ſępius quàm in vllum alium Imperij Romani ordinem, nefandus Calũniator, in Sereniſſimos noſtros Bauariæ Principes irruit. Mentitur prætereà, eundem Sereniſſimũ Principem Gulielmum, pietatis cauſa publicè id egiſſe, quòd à Catholicis quibuſdam pijs vel in pœnam peccatorum, vel in veneratione Chriſti dolorum fieri ſolet: quod etſi apud pios viros potius laudi datur, quàm vitio; tamen Hæretici grande piaculum exiſtimant. Sed planiſſimum mēdacium eſt, quòd Eliam vidiſſe fabularis Polycarpe, & huius mendacij, ſicut & aliorum mendaciorũ, ipſiuſmet, Sereniſſimi Principis teſtimonio, eà, qua tu meritus es, ratione conuincereris, niſi fortè DEVS te non ad has ſalutares & peccare dedocentes, ſed ad illas ſempiternas pœnas deſtinâſſet. Quòd ſi verò hoc mendacium tuum nō ex opinione piorum, ſed ex hæreſi Lutherana æſtimetur, quanta exiſtet in Sereniſſi-

Intolerabiles calumniæ.

mum Ducem calumnia? Scimus Hæreſiarchas veſtros hoc pietatis genus, ſacrilegium, carnificis manu vindicandum appellaſſe. Quid hinc conſequatur, tu Polycarpe videris, niſi tibi iam oculos corui effoderunt.

Paſſim quoque plurima de Bauaria noſtra, eiuſque Sereniſſimis Principibus, mendaciſſimus narrator, interſerit: ſerioque conatur vel Bauaros Principibus, vel Principem hunc ſibi ſubiectis exoſum reddere. Verùm hoc tantum odium & calumniæ in Sereniſſimam familiam Bauaricam, inde maximè prouenit, quòd animaduertat Calumniator, Sereniſſimum ac Clementiſſimum Principem, Ieſuitarum ſtudia & virtutem agnoſcere, gratam habere, ijs Collegia plura exſtruxiſſe, ac non ceſſare quotidie, inſignis in eam beneuolentiæ & fauoris indicia præbere. *Inſidiæ & laquei Polycarpi.*

Illud verò, niſi ad calumniandum Sereniſſimum ac Humaniſſimum Principem dictum eſſet, meritò planè videretur ridiculum: Ieſuitas ſcilicet Sereniſſimi Bauariæ Ducis Ferdinandi in bello Colonienſi Exploratores ac Cuſtodes eius Panopliæ, quam Sereniſſimo fratri auxilio miſit, egiſſe. Quid non tandem excogitabit in Ieſuitas, Polycarpi, eiuſq; ſimilium hominum maleuolentia? *Hiſ. or. Ieſ. Pag. 123.*

Criminationes porrò in Romani Imperij Ordines, qui dignitatibus fulgent Eccleſiaſticis, omittendæ mihi neceſſariò ſunt, tum propter multitudinem & grauitatẽ earum, quia toti libro ſunt inſperſæ: tum próptereà, quòd illæ calumniæ iam protritæ videantur, ad quas & noſtræ, & ipſorum, quos feriunt, aures quodammodò obſurduerint, nimia, & pernicioſa ferè tolerãtia Catholicorum Ordinum: Libri nanque iſti famoſi, non ſimul ac ſemel, ſed ſenſim ac velut per iocum animos veneno inficiũt. & ſic afficiunt, vt tum primum peſtis appareat, cum nullus eſt remedio locus. Forte exſpectat quiſpiam, vt exemplum proferam calumniarum, conuiciorũ ac maledictorum in Cardinales, Epiſcopos, cæteroſq; Eccleſiaſticos Ordines. Verùm non faciam: ſed illud potius contendam; Neminem vllam verborum contumeliam, quantumcunq; dicax & maledicus *Calumniæ in Eccleſiaſticos Romani Imperij Ordines.*

ſit,

ſit, excogitaturum, qua nõ Polycarpus Cardinales, Epiſcopos omnes in hac Hiſtoria ſua appellet. Imò quod magis miremini, diffidit hic ſibi Polycarpus, neque ſatis ingenioſum ſe atque audacem putauit ad calumniandum Epiſcopos. Itaque ex illis libris, quibus poſt homines natos, neque turpiores, neque contumelioſi magis prodierunt, cõuicia ac contumelias emendicauit, & in hanc ſuam Hiſtoriam comportauit. Quid multis opus eſt? Cacodæmones Polycarpo ac Lutheranis Prædicantibus, ſancti, iuſti, clementes ſunt, præ Cardinalibus & Epiſcopis omnibus. Nam Prædicantes ac alij quidam illis ſimiles, à quibus neque Sutor aliquis aut Sartor conuiciũ æquo animo audiret; tantam iam licentiam nacti ſunt, vt liberrimè & impunè, inauditis contumelijs, per famoſos libros, ſacros ſacri Romani Imperij Ordines inſectentur. Sed hæc alijs ſunt communia. Illud proprium Polycarpi & huius Hiſtoriæ; vt quamuis Ieſuitas potiſſimùm exagitare voluiſſe videatur, ita tamen id facit, vt dubitem, an Ieſuitas, aut Cardinales, & Epiſcopos, ac reliquos Eccleſiaſticos; an verò Imperatoriam Maieſtatem, ac Sereniſſimos Imperij Ordines, magis deteſtaturus eſſet ille, qui omnia, quæ Polycarpus narrat, crederet.

Magna Prædicantiũ libertas criminandi omnus generis principes, ciuitates, familias ampliſſimas.

Inuadit prætereà ſapientiſſimum nobiliſſimæ Reipublicæ Auguſtanæ Senatum, ſceleratus Calumniator, & ea confingit, ob quæ ſola quoque meritus eſſet pœnam talem, quę ei omnem deinceps calumniãdi facultatem eriperet. Nam voluntatem nunquam deponet. Calumniatur inprimis, Auguſtam deplorare damna ſibi illata à Pontifice Summo per Ieſuitas. Sed tacet, quænam illa ſint: nam ad alias calumnias properanti non incidit, quæ damna comminiſceretur. Mentitur Ieſuitarum conſilijs vel auxilijs vlla ratione aut modo actum eſſe, vt Auguſtæ Lutheraniſmus igne ac ferro aboleretur. Itidem mendacium & inſignis calumnia eſt; Patrum Societatis operâ ac hortatu Prædicantes ante aliquot annos eiectos. Nam ſi vel nullum vnquam Ieſuitam vidiſſet Auguſta, nequaquam illos ſeditioſos Præcones prudentiſſimus Magiſtratus ferre potuiſſet: qua de re extat

Mendacia & Calumniæ in Rẽp. Auguſtanã. Nulli ordini parcit Polycar. Hiſ. or. Ieſ. pag. 18.

Pag. 19.

extat ipſius Magiſtratus ſcriptum ſanè luculentum, & inſigne monumentum illius Senatus ſapientiæ ac amoris in ciues ſuos: in quo etiam proprijs coloribus ſeditioſi Prædicantes, eorum conſilia & machinationes depingũtur. Prætereà eiectionem Prædicantium iuſtiſſimam ac planè neceſſariam, tùm Auguſtiſſimo Imperatori, tùm plerisq; Imperij ac præcipuis Ordinibus etiam ex Proteſtantibus, ita probârunt Auguſtani, vt rectè ac meritò factum omnes iudicarent. Calumnia in eandem Rempub. intolerabilis eſt, eam domeſtico milite obſeſſam eſſe. Nam militem ea Reſpub. in præſidium ciuium multò ante ſeditionem à Prædicantibus concitatam, & Collegium Societati erectam, habuit & aluit. Calumnia eſt Auguſtanam Rempub. in extremo periculo verſari. Sed fingit talia ſeditioſus Calumniator, quoniam pacem ac tranquillitatem illi Reipub. inuidet, malletque omnia ſurſum deorſum verti, ac Ieſuitas & omnes Catholicos expelli. Calumnia eſt, Ieſuitas Auguſtanos in ciues ſæuire, illorum bona rapere, eoſque corrumpere: quaſi verò hoc amantiſſimus ſuorum ciuium inclytus Senatus Ieſuitis permiſſurus vnquam eſſet. Verùm has tantas calumnias perditiſſimi Polycarpi, publicis tabulis, & teſtibus ipſis Auguſtanis etiã proteſtantibus ciuibus, confutare poſſem, niſi mihi defenſio potius, quàm accuſatio aut exauctoratio infamis iam Polycarpi cordi magis eſſet.

Hiſt. or. Ieſ. pag. 34. 35.

Ipſi Lutherani Miniſtri Ciuitatis Auguſtanæ ſeditioſos expulſos Prædicãtes redarguerunt.

Hiſt. or. Ieſ. pag 34.

Hiſt. or. Ieſ. pag 25. 97. 125. 126.

Itaque prætereo plures, quas in hanc ciuitatem verè Auguſtam effundit contumelias: ſicut & illam, quà Illuſtrem familiam Fuggericam, neſcio quorum conſiliorum & ſeditioſarum molitionum, ſine fronte ac pudore furioſus Criminator accuſat. Ac neſcio profectò, vnde profectũ ſit hoc Polycarpi odium in ſtirpem Fuggericam (quam ob accepta ab eadem beneficia ſatis vnquam laudare & prædicare non poſſum) niſi quia in priſca Catholica religione ita perſeuerat, vt non ſolùm fœlicitate, ſed etiam pietate, tùm in DEVM, tum in pauperes, inter nobiliſſimas familias eluceat. Auguſtanæ quidem Ciuitatis, ipſa mœnia ac tecta, gratias Fuggeris agerent; &, ſi vocem haberent, tot ac tanta de-

Pag. 35. & 97.

Fuggericã familiã criminatur Polycarpus.

cora, publica ac priuata ornamenta, quæ ab eis acceperunt, depredicarent. Eadem decantat quoque magna multitudo ciuium, quæ quotidie ab huius familiæ ſplendore & munificentia, vel in aduerſis ſolatium, vel in proſperis incrementa ſumit. Sed dolet inuido Polycarpo per eandem Religionem adaugeri fœlicitatem Fuggericæ domus, per quã eam Maiores ipſorum promeruerunt.

Non immeritò præterea hoc quis miretur, cur præ cæteris Rebuſpublicis hanc Auguſtanam potiſſimùm & ſæpiſſimè inſectetur. Sed in promptu eſt ratio: Qui huic Ciuitati iuratus hoſtis eſt, calamitas illius Vrbis & auctor ſeditionis cõcitatæ, fœliciſſimè tamen ſapientiſſimeq; repreſſæ, Mylius; ille ſummus huic Eliæ Polycarpo amicus eſt, ad quem etiam nequiſſimus Ieſuitarum transfuga primùm omnium confugit. Is ita de ea Repub. loqui ſolet; neque latent eius in hoc libro veſtigia, niſi fortè adhuc intra eius Vrbis viſcera deliteſcant qui tales calumnias ſuggerant: quos quãuis adhuc nemo prodit, tamen non ſinit eſſe quietos conſcientia. Et quid non calumniarum effingerent Elias, Mylius, Polycarpus? Altera cauſa eſt, imò quaſi quoddam fundamentum prioris: Quoniam in ea Vrbe pacta & conuenta Comitiorum, de vtraq; Religione ſub Imperio toleranda, ac ęqualiter tuenda exactè & religiosè obſeruantur. Sed quia Polycarpus cum ſuis, vt antè dicebam, ſalua re ac fide Catholicorum quieſcere non poſſunt; neque licet propter vigilantem Reipublicæ illius cuſtodiam, aliquid illic noui moliri, ideò Senatum Auguſtanum, exoſum habẽt ſeditioſi Prędicantes: ideoq; hanc ei impingunt calumniam, quaſi Catholicis cõtra Proteſtãtes patrocinetur. Nã quicquid Catholicorum vtilitati, vel incremento accedit, quamuis iure ac merito; id ſibi totum derogari moroſi iſti ac phrenetici Prędicantes inuidia tabidi exiſtimant. Vnam mihi quis in Imperio Ciuitatem liberam nominet; penè etiam extra Imperiũ dixerim, vbi maiore numero, & honeſtioribus ſtipendijs Miniſtri Proteſtantium habeantur & alantur? & tamen magna pars Auguſtanorum Senatorum Catho-

Elias Haſenmillerꝰ cũ Landſpergã fugeret, diuertit Auguſtæ apud Georgium Miller.

Idem alij Ordines & Reſpub. debebant ſeruaſſe.

Catholicam fidem tuetur. Aut vbi eſt vlla Ciuitas, in qua ſi tantus ſit Senatorum Proteſtantium numerus, quantus eſt Auguſtæ Catholicorum, non premantur, vexentur, & ſæpè etiam eijciantur Sacerdotes, ipſiſque adeò Ciues Catholici, non in periculo aliquo verſentur; cùm econtra Auguſtæ etiam à Catholicis Senatoribus, tanta humanitas & beneuolentia, ac præſidium Lutheranis, eorumq; Miniſtris præſtetur. Vnde iterum apparet, ingratum eſſe quicquid in Polycarpum, eiuſq; ſimiles beneficij conferatur, niſi Catholici planè euertantur. Non enim pacem cum Catholicis, ſed extirpatis atque deletis illis, graſſandi poteſtatem quærunt.

Vereor admodũ, ne plura huius generis perſequẽdo, moleſtus ſim: nam & ipſe non ſine faſtidio his calumnijs immorari cogor, ſed adhuc patiamini queſo Lectores mei; vt à nobiliſſima & clariſſima, ac de me benè merita Prouincia calumniam depellam, nempe à Bauaria; cuius incolas plæroſque mentitur Polycarpus, Ieſuitas execrari ac deteſtari. Quod ego certò ſcio falſum eſſe. Nam multis argumentis ſuam quoque in eos ſæpè beneuolentiam Bauari omnes declarârunt. Hic Ingolſtadij certè templum Ieſuitis exædificatum eſt, ex eleemoſynis potiſſimùm Bauarõrũ, quas ſponte obtulerunt; nunquam id facturi, ſi eo in Ieſuitas, quo Polycarpus narrat, animo fuiſſent. Quòd aliqui verò inueniantur, qui in Ieſuitas vel contumelioſa, vel acerba dicant: id non negamus. Et quis enim vel Principum, vel hominum Sanctiſſimorum vnquam fuit, de quo non variè loquerentur homines, etiam ij, qui boni ſunt? Nam malorum quorũ maior ſemper eſt numerus, nulla habetur ratio. Nam & ſacræ literæ, & experientia docuit; quò quiſque ſanctior eſt, eò magis vexari ab improbis. Deinde ſolet etiam ſæpè fieri, vt de ijs, quos amamus, quos laudamus ac veneramur præſentes, non honorificentiſſimè loquamur, cùm abſentes ſunt: Vel quod ſubinde reperiatur, quod in aliquo reprehendatur: Vel quod interdum in eorum gratiam, cum quibus agimus, aliquid dicimus, vel ambiguè, vel præter animi noſtri ſententiam: Ac demùm omnino variæ

De Calumnijs in omnes Bauaros generatim.

Hiſtor. Ieſ. pa. 172. & alias.

cauſæ tales incidere poſſunt. Neq; ita ego Societatem IESV defendo, vt aſſeram, omnes & ſingulos Ieſuitas, nihil aut facere, aut dicere imprudentius; aut neminem extitiſſe, qui aliquo dicto aut facto, à ſe aliquos alienaret. Non ita arroganter de ſe ſentiunt Patres Societatis IESV, vt ſe ἀναμαρτήτους eſſe cenſeant; quin potius ſe homines eſſe ſciunt, & nihil humani à ſe alienum putant. Verùm non propterea, aliquis toti Prouinciæ aut ditioni eſt execrabilis, quòd eius vitæ rationes & actiones quibuſdam non probentur. Ex quibus omnino concludo, ingentem ac inſolentem calumniam eſſe; deteſtabiles eſſe Bauaris Ieſuitas. Imò pleriſq; Catholicis Bauaris, maximè autem melioribus & prudentioribus amabiles, & venerationi ſunt, propter doctrinam, virtutem, innocentiam, diligentiam, zelum in rebus diuinis, in Sacramentis adminiſtrandis ſolertiam, in animis hominum gubernandis peritiã, ac cætera ornamenta, quæ in Religioſis, homines pij quærunt ac ſuſpiciunt: quæque Bauari fatentur in Ieſuitis eſſe ſingularia, ac penè diuina.

De Catholicis & Religioſis quibuſdam Ieſuitarũ obtrectatoribus.

Quod idem Calumniatori dictum ſit atque reſponſum de cæteris Catholicis, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue alijs; etiamſi ex illis inueniantur, qui maledicant, & obloquantur Societati IESV: aut de ea vel generatim, vel de certis hominibus, referant, quæ aut indigna, vel turpia, vel maleuolentis animi indicia videntur. Illud ego ex mea ſententia, & multorum, quos noui, grauiſſimorum, nobiliſſimorum, doctiſſimorum hominum opinione pronunciare poſſum; neminem, qui Societatis IESV inſtitutum pernouerit ac perſpexerit; quique verè ac ex animo Catholicus fuerit, eam odiſſe. Quod ſi quis dicat: nonnullos etiam ex pijs & ſapientibus inueniri, qui quædam in Societatis IESV hominibus carpant; Ego illud oppono: Neminem ferè eſſe, non ſolùm ex ſapientioribus, ſed etiam ex vulgo, qui non plurima etiam in illis admiretur & vehementer commendet. Illud tamen etiam atque etiam conſiderandum eſt: in ijs ferè tantummodò rebus, aliorum iudicium à Ieſuitis diſſentire, in quibus, ſine vitio, etiã ſapientes & prudentes, aut pij ac ſan-

cti homines diſſentire poſſunt: Fit enim plerumque, vt ſuo quiſque iudicio ac ratione ductus contrariam opinionem non omni modo probare poſſit. Cùm enim (præſertim ex bonis ac ſapientibus) quiſque ſe, quod optimum ſit, ſequi putet; mirum non eſt, ſi diuerſam viam affectantes, non laudet fortè, aut etiam reprehendat. Sic quædam Patres Societatis agunt, quæ alij horrent & negligunt; è contrario verò interdum vitant, quæ cæteri appetunt & ambiunt. Deinde Societatis I E S V ſtudia ac inſtituta quædam, ideo ſunt obtrectationi obnoxia, quòd plerique laborent ignoratione finis atque cauſarum, ob quas illa ſic ſunt ſuſcepta. Præterea nonnullos quãdoq; offendit, quòd Patres Societatis IESV, non videantur mediocritate quadam contenti, vel in inſtituendis, vel in corrigendis moribus; ſed abſolutam quandam ſpeciem atq; perfectum exemplum omnibus, ad quod properent, proponere. Itaque quidam obloquuntur Societatis Patribus quemadmodum ægroti ſæpè medicis, cupita negantibus: Quòd ſi qui etiam ex inuidia aut æmulatione quadam, florenti præſertim nunc Societati, obtrectent, id humanum ac vſitatum eſt: ſed auctoritati ac laudi Societatis nihil detrahit: ſicut neque illud; ſi quis, quod in vno aliquo eius Ordinis homine non probauit, toti Societati, vel ex malitia, vel ex imperitia tribuat. Atq; ex his fieri poteſt iudicium, de innumeris & turpiſſimis Polycarpi mẽdacijs, quibus fingit Ieſuitas omnibus etiam bonis Catholicis, ac Religioſis exoſos eſſe, vt quidam etiam eos armis ac bello ex Orbe Chriſtiano libenter eijcerent. Scilicet quæ vehementer exoptando interdum ſomniat Polycarpus, ea tanquam vera commemorat. Sic igitur tibi de Obtrectatoribus Societatis I E S V reſponſum ſit Polycarpe; Vt nemo malè de ſe loquatur, Ieſuitæ efficere non poſſunt; ne merito de ſe malè loquantur, prẹſertim ſapientes ac probi, in eo diligenter & fœliciter elaborant. *Hiſt. or. Ieſ. pag. 21. & alibi.* *Concluſio huius Apologiæ, Hiſtoriam ordinis Ieſuitici eſſe librum famoſum.*

Satis arbitror ex his, quæ hactenus à me ſunt allata, patere; Hiſtoriam Ordinis Ieſuitici, librum eſſe famoſum. Tùm quia Auguſtiſſimum Imperatorem, Sereniſſimos &

Illuſtriſſimos Principes ac Illuſtres Ordines tot maledi-ctis,improbiſſimiſq; calumnijs perſtringit: Tum quia lau-datiſſimam Societatem hominum doctiſſimorum, reli-gioſiſſimorum, ac de tota Chriſtiana Republica optimè meritorũ,tam iniquè,improbè,mendaciter,cõtumelioſè infamare conatur. Neq; enim vereor, ne quis putet exiguã eſſe iniuriam, huic ſanctiſſimo Ordini illatam, quòd ſint Religioſi, hoc eſt, famæ ac honoris contemptores. Nam etſi Societatis IESV Patres verè contumelias & ſupplicia pro Chriſti nomine libenter ſubirent;tamen quoniam has calumnias eò ſpectare vident, vt eorum fructus impedian-tur,quos ex ſuis immenſis laboribus colligere non tam pro ſe, quàm pro gloria DEI & exaltatione nominis IESV cu-piunt; ideò dolent, ita ſe innocentes & immeritos tanta inuidia & odio per eiuſmodi libros onerari. Quòd ſi hæc Societas etiam ex hominibus viliſſimis & abiectiſſimis cõ-ſtaret; ſi obſcuri omnes, ignobiles, pauperes fuiſſent; ne-quaquam tamen ferendum ac tolerandum videretur; tùm propter Religioſam dignitatem, quæ omnibus ferè hono-ribus antecellere debet; tùm propter beneficia, quæ in to-tam Eccleſiam tanto ſtudio, alacritate & fœlicitate confe-runt. Nunc cùm multi eorum eo loco nati ſint, ijſuè naturæ ac virtutis ſtudiorumque ornamentis præditi, vt niſi cum Chriſto paupertatem & humilitatem colere,quàm has ho norum & dignitatum vmbras conſectari mallent;inter no-biles & claros viros, inter Gubernatores Rerumpublicarũ ac Eccleſiarum, inter homines ſumma auctoritate,vel vir-tutis ac eruditionis laude pollentes numerari poſſent; me-ritò tùm ipſorũ eſt habenda ratio,tùm etiam fortè eorum, qui in varijs Orbis Chriſtiani partibus,atq; intra Imperij fi-nes dignitatè atq; auctoritate magni,multos ex Ieſuitis,ſan guinis propinquitate attingunt. Conſtat enim multos in hac Societate clariſſimis, honeſtiſſimiſq; natalibus ortos: quod tamen ipſi adeò non æſtimant,vt neq; audire quidem velint patrios titulos,& quę fortuna magis quam virtus tri-buit decora. Quæ quidem eorum animi modeſtia & demiſ-

ſio ipſis fraudi eſſe non debet, ſed potius quantò ipſi magis quid de ſe æſtimetur, contemnunt; tantò ſtudioſius eorum nobis eſt honor atq; laus conſeruanda, amplificanda, & defendenda contra nefandos Calumniatores; præſertim tales, quales ſe declarant huius Hiſtoriæ auctores, ac inter eos Polycarpus præcipuè.

Spero prudẽtes ac bonos omnes, ex ijs, quæ attuli (quamuis pro numero eorum, quæ omiſi, pauca videri poſſunt) ſatis cognoſcere, totum librum ſcatere hæreſibus, dogmatibus impijs, blaſphemijs inauditis, ſarcaſmis turpiſſimis, mendacijs impudentiſſimis, calumnijs atrociſſimis, contumelijs importuniſſimis; nihil in eo apparere, niſi imprudentiam, temeritatem, audaciam, impudẽtiam, ſtultitiam, nequitiam, libidinem, & inexplicabile in Religionem Catholicam, omneſque eius Sectatores, defenſores, ipſoſque adeo Principes & Magnates, præſertim aũt ac potiſſimum in Ieſuitas odium ac inuidiam. Ita ſcriptum eſſe, vt nulla veſtigia Religionis, Pietatis, obſeruationis in DEVM, in res ſacras, in Diuos, in viuos aut defunctos extent. Nam irridendo, ſubſannando maledicendo, execrando, mentiendo, calumniando nemini parcit; Sed furioſi inſtar in omnes, vt cuiuſque memoria occurrebat, feroci impetu incurrit. Atq; hæc quidem omnia ita apertè, ita manifeſtè, ita frequenter, quaſi aliquod præmiũ inauditæ maledicentiæ propoſitum habuiſſet; aut quaſi omnes lectores fungos, fatuos, blennos, bardos, ſtolidos iudicaſſet: quaſique ſolis hæreticis, ſtultis, calumniatoribus, obtrectatoribus, inuidis, inimicis Ieſuitarum ſcripſiſſet.

Hiſt. or. Ieſ. quomodo ſcripta ſit.

Quanquam, neq; ita hic liber ſcriptus eſt, vt vel ſuorum ac Proteſtantium curam habuiſſe videatur Auctor illius. Cùm enim tam incredibilia, tam abſurda, tã vana & futilia ſine ordine ac modo memoret atq; confingat; nemo qui videri volet prudentior, fidẽ habebit: ſed pudebit etiam multos Lutheranorũ huius Hiſtoriæ & talium Hiſtoricorum. Nam & prudentes ex Proteſtantibus, dum vident ita à Principibus Catholicis foueri & amari Ieſuitas, eoſdemque

Auctor Hiſtoriæ Ordinis Ieſuitici ne ſuorum quidẽ rationem habuit.

à Prædicantibus omnibus ita timeri, ab iſſque tanto odio, maledictiſque appeti; dumque audiunt de doctrina Ieſuitarum, de ſtudio, de labore, de fide, quam præſtãt in ſuſcipiendis, obeundis, perficiendis, quæ ſpectãt ad Religionem Catholicam; dum cognoſcunt, tanta quotidie eos incrementa ſumere, tot viros nobiles, graues, doctos, honoratos illis ſe adiungere; certò ſtatuunt apud animum ſuum, nihil Hiſtorico credendum; præſertim qui tantam animi impotentiam apertè præ ſe ferat, & ſine bile, iracundia ac odio, nec verbulum proferre poſſit. Sanè ſi quiſquam aliquando audacter calumniatus eſt, ea ſpe, quòd ſemper aliquid in animis Auditorum hæreat, id Polycarpus fecit, cùm adiutoribus ſuis (non adeò ignotis quam ipſi fortaſſis ſperant & optant) in ſua Hiſtoria contexenda. Quod enim nunquam grauiſſimis calumnijs, ſi paucæ fuiſſent, efficere potuiſſet, ne ſcilicet mentiri videretur; hoc ſe conſecuturum ſperauit plauſtris contumeliarum, nempe vt aliqua vera eſſe crederentur; & fieri non poſſe æſtimaretur, vt tot ac tanta, quot quantaque continet liber hic, vnus homo, vel etiam plures comminiſcerentur. Hoc tamen eſt hac ſua ſtultitia aſſecutus, vt quamuis ipſe Calumniatoris nomen apud omnes obtenturus perpetuò ſit; neque quiſquam tam fatuus futurus, qui omnia credat; tamen etiam multi, nempe vel Polycarpo pares, vel Ieſuitis inimiciores aut iniquiores, quædã ſint mendacia & calumnias libenter audituri, atque fidem tanquam veris narrationibus adhibituri, prout quiſq; vel de Religione, vel de Ieſuitis aliqua opinione praua imbutus eſt.

Producuntur teſtes innocentiæ Societatis Ieſu, contra Calũmatores & Pſeudohiſtoricũ.

Verùm quæ prudentes ob priuatam ſuam ſententiã probabilia iudicabunt, ea leuicula fortè tantum erunt. Nam quò minus illa grauiſſima & turpiſſima flagitia perpetraſſe aut tam horrenda conuitia meritos eſſe Ieſuitas credãt, obſtabit auctoritas & teſtimonium penè totius orbis Catholici. Nam Societatis IESV Clericorum ſapientiam & ſcientiam rerum diuinarum & humanarum teſtantur libri, quos ediderunt in omni diſciplinarum genere eruditiſſimi:

mi: viri qui ex eorum Scholis prodierunt, doctiſſimi, clariſſimi, in ampliſſimis Regnis, Prouincijs, Rebuſpublicis honoratiſſimi, Eccleſiaſticis dignitatibus ſplendidiſſimi. Eandem teſtantur tot Scholæ, tot Collegia, tot Academiæ, tot diſcipuli, qui ex omni nationum ac hominum genere his Præceptoribus potiſſimum vti volunt. Ipſi adeò Hæretici, laudem eruditionis admirabilis Ieſuitis detrahere non audent, & quanti eam faciant, eorum congreſſus fugiendo ac timendo oſtendunt: Ieſuitarum pietatem, puritatem, vitęque innocentiā manifeſtam reddunt, tot templa, vel ipſorum propria, vel aliena; quæ reſtaurata, purgata, magnificentiſſimè exornata ſunt: ille ardor & fœlicitas, improbos, impudicos, ſceleratos à vitijs reuocandi, bonos ac pios ad perfectionem Chriſtianam incitandi; vt ab eorum exortu vrbes ac prouinciæ bonis ciuibus, templa caſtis Sacerdotibus, Monaſteria Religioſiſſimis hominibus ſint repleta. Quid memorem illum conatum, illumque indefeſſum laborem, rudes, viliſſimos homines, pueroſque in doctrina Chriſtiana inſtituendi; eaque de cauſa loca aſperrima, horrida, barbara peragrandi alacritatem & duriſſima quæque pro Chriſto patiendi cupiditatem? Quid? Cuiuſmodi teſtes ſunt illi, quàm incorrupti, quàm ſinceri, qui Chriſtianū nomen nec audiuerunt vnquam? Ad quos cum Patres veniunt, tanquam cælo delapſi honorantur, non alia de cauſa, quàm ob admirabilem virtutem, ſapientiam & vitæ innocentiam. Ipſe ille ingens numerus, illa quotidiana incrementa Societatis IESV, cui ſe non adoleſcentes tantùm optimi, ſed viri clariſſimi aſſociant, quale quantumque eſt teſtimonium? Sed quid opus eſt multis? Nullus eſt hominum ordo, aut natio, ad quam Ieſuitę peruenerint, aut apud quam vixerint, quæ non præclarum & integerrimum teſtimonium contra pſeudohiſtoriam hanc Societati IESV ſit datura. Multi ex illis ipſis, qui quædam in Ieſuitis aliquādo reprehenderint; aut nō optimè de ijs aliquando locuti fuerint; ſe vera dixiſſe, aut penitus intellexiſſe res Societatis negabunt; palamq; profitebuntur, hāc Societatem eſſe planè

Conuitia Hæreticorū laus Societatis IESV.

ob ea omnia, quæ in aliquo hominum ordine, ad eius conſeruationem, amplificationemque deſiderari poſſint admirabilem, & à DEO miſſam atq; inſtitutam Catholicæ rei bono, & remedio calamitoſorum horum temporum: ſicut alij Sanctiſſimi Religioſorum hominum Ordines ſuperioribus ſeculis ad illorum temporum vtilitatem & ſalutem extiterunt; vnaq; nũc cum Societatis IESV Patrib. Catholicæ Religionis propagationem egregiè, pariterq; promouent. Sed quid multis? Teſtes innocentiæ Ieſuitarum, ſunt præcipui Chriſtiani orbis Monarchæ, ampliſſima Regna, nobiliſſimę Prouinciæ, celeberrimæ Vrbes. Et demùm omnes homines, qui familiariter eis vtuntur, qui eorum templa adeunt, conciones audiunt, Sacramenta ab eis recipiunt, & quotquot ſunt, fuerunt, eruntque eorum diſcipuli, quorum eſt multitudo innumerabilis.

Polycarpi ſtultitia & imprudentia. His tu tantis & infinitis teſtibus audes, Polycarpe impudentiſſime, tuas calumnias & mendacia opponere? Tu ſolus ſapis? Tu ſolus proditores, impuros, ſceleſtos homines agnoſcis & prodis? Nemo hactenus tam inepta, tam horrenda in Ieſuitarum vita deprehẽdere potuit? Plurimi ſunt vbiq; gentium, qui cum Ieſuitis, & inter eos iiſdem legibus aliquot annis vixerunt; qui partim iuſtiſſimis de cauſis & honeſtiſſimis, aliud vitæ genus ſuſcipere ſunt coacti: partim Elię nefandi ſimiles, abiecto religioſo viuendi genere, vel ad Hæreticos transfugerunt, vel alioqui ſolutiorem vitam, in qua liceret, quod liberet, eligere, voluerunt: tot Ieſuitis domi, foriſq;: ab amicis & inimicis: ſummis infimiſque hominibus ſtructæ ſunt inſidiæ: tot callidiſſimos, aſtutiſſimoſq; exploratores dictorum factorumq; & Obſeruatores à primis exordijs habuerunt: ſed nemo ex omnibus eorum criminum & flagitiorum, quorũ tu illos reos facis, veſtigia inuenire potuit. Quibus ex rebus omnibus, Sereniſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, & Illuſtres Ordines, pro ſapientia veſtra ac cura, Rempub. Chriſtianã in ſumma tranquillitate ac pace altiſſima conſeruandi, planè intelligitis, quid aut de illo tanto Calumniatore Ordinis honeſtiſſimi

Societas Ieſu Poly-

&Re-

& Religioſiſſimi, ac de ipſa illa Soc. IESu ſtatuere debeatis. Mihi quidem dubium nullum eſt, quin Polycarpus Leyſerus illa lege teneatur, quæ capitalem ſententiam, tam in eos, qui ſcribunt, quàm in eos, qui libros famoſos ſpargunt, decernit. Nam ſi capitis pœna ſtatuta eſt in eos, qui de veris, ſed occultis criminibus, per eiuſmodi libros, homines honeſtos infamant, quid cenſendum eſt de hoc libro, in quo tot & tam atrocia, in veſtræ etiam dignitatis ac gloriæ, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes & Illuſtres Ordines, maculam ac dedecus confinguntur, & per totum mundum ſparguntur. Nam iniuriam Societati IESV, huius libri editione, magnam illatam eſſe, nemo prudens dubitare poteſt. Quod ſi rectè ſapientes dixerunt; non eſſe negligẽdam famam, nec mediocre telum, ad res gerendas exiſtimare oportere beneuolentiam ciuium, non poſſunt ſanè Patres optimi, qui tanta munera pro communi Chriſtianitatis bono ſponte ſuſcipiunt, & perfecerunt iam, & adhuc perfecturi ſunt, negligere tantas calumnias: quibus toti mundo tanquam peſtes humani generis, & omnibus execrandis rebus deteſtabiliores mendaciſſimè & iniquiſſimè oſtentantur. Quòd ſi mihi accuſatio magis quã defenſio Societatis IESu propoſita eſſet, facilè efficerem, Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & Illuſtres Ordines, vt animi veſtri iuſta ira excandeſcerent, & ad puniendum pro merito poſt homines natos Calumniatorem impudentiſſimũ, ſtatim vos accingeretis. Verùm habenda mihi ratio eſt finis ac propoſiti mei: tùm etiam veſtræ ſapientiæ, qua quod optimum erit, ſine dubio perficietis.

Polycarpũ iudicio capitis arceſſere poteſt. L. ſi quis C. de fam. lib. Vide Petrũ à Placa li. 1. Epit. delictorum & cauſarum criminum. cap. 1. n. 5.

At quicquid de Calumniatore fit, ego vos, Sereniſſimos & Illuſtriſſimos Principes, Illuſtres Ordines, atque omnes ſapientes ac bonos viros, oro obteſtorque, vt illud ſaltem beneficiũ tribuatis honeſtiſſimo ordini Societatis IESV, quod ipſa nondum petijt; ego autem (qui eius innocentiam, fidem, probitatẽ cum alijs grauiſſimis viris, iuſto temporis ſpacio habeo perſpectam & optimè cognitam) eius nomine vehementer expoſco. Nolite; ſi tanta iniuria nihil

Quanto ſtudio & quare Societas magnoperè ſit defendenda.

commotos Societatis IESV Patres aſpexiſtis, ſi conſtanter, ſi fortiter ſapienterque, ſi cõſcientia tantùm fretos ſuæ, has tantas in ſe calumnias & narrari & legi & ſpargi & cantari toto orbe tollerare videtis, hoc minus eorum innocentiam defendere: atque haud ſcio, an multò etiam ſit acrius contra improborum ſpem atq; audaciam protegenda. Etenim hac ipſa animi fortitudine & conſtantia teſtatam reddunt, iniuriæ ac calumniatum, quibus premuntur, magnitudinem & vanitatem. Ita quidem Ieſuitæ affecti ſunt, vt ſi ab eorum abitu & diſceſſu ſalus ac tranquillitas Germaniæ & Imperij penderet; aut ſi ſuam in Catholica fide tuenda operam, vel ſuperfluam, vel non neceſſariam viderent, ſponte eſſent ex Germania ad vltimas terras, in quibus ſpeciem præbent naſcentis Chriſti Eccleſiæ migraturi: imò etiam ſi pax atque concordia, fideique Catholicæ Chriſtianæ vnitas, eorum morte redimi poſſent, libentiſſimis animis proprium ſanguinem potius effuſuri, quàm paſſuri eſſent, propter eos, quicquam Germania detrimenti perciperet: Huius ſuæ voluntatis & amoris in Rempub. teſtes & obſides dederunt, multis in locis fortiſſimos & cõſtantiſſimos Martyres. Et verò quid in vita ſua, moribus, functionibus aliud agunt, quàm quòd teſtentur voluntatem iuuandæ patriæ & Vnitatis Catholicæ reducendæ? Cur Patriam, Parentes, amplas hæreditates, honores, dignitates, amicitias, ſplendidas; & cætera, quæ magni vulgò fiunt, deſeruerunt? & vſu rerum neceſſario contenti, non quæ volunt, ſed quæ dantur, iubentur; accipiunt, peraguut? Et quæ ſunt eorum ſtudia, niſi Reipub. vtiliſſima, à vitio deterrere, ad virtutem permouere hominum animos: mœſtis ſolamen, afflictis auxilium, perditis ſalutem afferre; vix inter ſummos ac infimos diſcrimen agnoſcere, ſed vt res tulerit, pari charitate, contentione, ardore, illorum aut horum vtilitati ac ſaluti inſeruire; coniunctis precibus, ſtudijs, viribus animi laborare, vt Catholica fides propagetur; hæreſes, doctrinæ ſolùm grauitate, & exemplis innocentiæ euellantur ac extinguantur? Quod cùm fœliciter & magno incremento

Rei

Rei Catholicæ faciant quid eſt, quòd tanto furore & inſania impudentes Calumniatores eos adoriantur? Quin ipſi ſi poſſint ſimilem Lutheranam, Caluinianam aut Proteſtãtium Societatem inſtituunt: & cum hac coniunctis animis, non armis, non calumnijs, non mendacijs, ſed beneficijs, ſed virtute ac innocentia pugnant: neque Ieſuitarum, neque Catholicorum, neque quiſquam prudens repugnabit, ſi Prædicantes inter ſe Societatem inſtituant, in qua non proprijs bonis, ac quæſtui, vel voluptati, ſed vtilitati tantum ſuorum Proteſtantium inſiſtant. Splendorem Collegiorum, redditus amplos, & honores, quos tunc conſequi poterunt, non inuidebimus; dummodò id ſeruent, vt nihil proprium habeant, alieno imperio ſubiaceant, caſtè viuant, & omnia in ſuorum vtilitatem referant. Sed fieri non poteſt, vt Euangelica Societas, aut Prædicantium vnquam vllo tempore coëat. Vnitas atque concordia fidei Catholicæ per vniuerſum orbem ſparſa, in hac Societate IESV eluceſcit etiam maximè. Ob quæ omnia cùm ab omnibus ſapientibus ac pijs viris, tùm maximè à Sereniſſimis & Illuſtriſſimis Principibus & Magiſtratibus eſt amanda, fouenda, & ab hoſtium calumnijs vindicanda, præſertim cùm totius Reipub. Chriſtianæ plurimùm interſit, ne tanta mentiendi & calumniandi licentia toleretur. Verùm ob ſeipſam quoque hæc eſt omnibus bonis tuenda Societas, cùm eius maxima ſint in Orbem Chriſtianum merita: Quare ſi eam conſeruauerint, & beneuolentia ſua perpetuò deinceps quoque ornauerint, tantique Calumniatoris machinis nihil motos, aut alienatos ab hac Societate ſe oſtenderint, DEO inprimis gratiſſimam, Societati debitam præſtabũt operam; Illa enim tantis beneficijs ac benignitate excitata, multò etiam magis pro ſalute tum omnium tum ſingulorum laborabit; & ſeipſam quodammodò benè de vniuerſis merendo ſuperare conabitur: Eruntq; hi homines vobis, Sereniſſimi & Illuſtriſsimi Principes, Illuſtres ordines omnibuſq; Catholicis, in aduerſis Conſolatores, in proſperis animorũ Moderatores; liberis veſtris, ſapientiæ, pieta-

Eſt hæreticis & proteſtantibus impoſsibile, vt in aliquã Societatem coaleſcant, in qua ſicut religioſi apud Catholicos, viuãt.

tis & virtutis Ductores atque Doctores, fidei Catholicæ acerrimi Propugnatores, pro fœlicitate, ſaluteq; veſtra exoratores. Atque hic ſit finis defenſionis meæ, cui ſi quid vel in Calumniatore confutando; vel cuiuſquam dignitate ac Societatis honore tuendo & amplificando defuit, id veſtra Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes, & Illuſtres Ordines ſapientia corrigetur; eritque tantò illuſtrius innocentiæ teſtimoniū, quantò manifeſtius ex hac Oratione mea apparebit, nullis vos verborū aut ſententiarum lenocinijs ac fuco, ſed ſola veritate permotos, Societatem IESV retinendam, amandam, ornandam, defendendam ſuſcepiſſe.

AMICO LECTORI.

QVOD ſæpius in hac Apologia profeſſus ſum, neque omnes, neque præcipuas tantum Calumnias & mendacia in Societatem IESV me perſecutum eſſe; ſed illa tantum quæ mihi in his temporum anguſtijs & occupationibus meis, Pſeudohiſtoriam peruolutanti, hæſerunt in memoria: de eo nunc quoque Lectorem meum admoneo, ſicut etiam de illo: nullam ex omnibus à me confutatis calumnijs, non pluribus etiam locis repetitam eſſe à Calumniatore. Videant qui ſapiunt, quid in cæteris à me prætermiſsis credendum ſit Polycarpo, quem nemo vnquam hominem eſſe probare poterit tot argumentis, quot ego eum indicijs ac teſtimonijs mendaciſsimum eſſe calumniatorem conuici. Quanquam quæ à me omiſſa ſunt ab alijs viris grauibus & doctis, qui nuper etiam in ſimili cauſa Societatem IESV egregiè publiceq; dilaudarunt ac defenderunt, peti poſſent; & breui, quemadmodum audio, prodibit in lucem totius Pſeudohiſtoriæ confutatio, in qua omnium minimarum maximarumq; ementitarum calumniarum coarguetur Pſeudohiſtoricus. Interea Lector hac noſtra Apologia, quam officio, fide, pietate & veritatis teſtandæ ſtudio adductus conſcripſi, fruere.

PRAE-

PRAECIPVORVM CAPITVM, QVAE IN HAC APOLOGIA TANGVNTVR,

INDEX.

CAVSAE ſcribendæ huius Apologiæ. Pag 2.
Authores Hiſtoriæ Ord Ieſuitici omnes Catholicos, præſertim autem ſacri Romani Imperij Ordines criminãtur. 3.
Academia Ingolſtadienſis ex hac Apologia defenditur. 4.
Hiſtoriæ Ord. Ieſ. quare nihil credendum. 8.
Hiſt. Ord. Ieſ plena cõtradictionibus. 12.
Quàm ſtultè & nequiter vita priuata Ieſuitarum exagitetur. 13.
Nihil probat. 14.
Cauſa odij Hæreticorum in Patres Societatis IESV. 17
Non eſſe aliam fidem Ieſuiticam quàm Romanam, Catholicam. 20
Quàm mendaciter doctrina Ieſuitarum rideatur. 22
Sacra ſcriptura quomodo, & quibus ſit cereus naſus. ibi.
Prædicantes ſub velo Religionis Romanæ horribiles cõtumelias euomunt in Cæſaream maieſtatem & Imperij Romani Ordines. 26
Non poſſe ad Principes proteſtantes accommodari, quæ in Prædicantes & Hæreſes dicuntur. 28.
De eruditione Patrũ Societ. IESV. 31.
Societas quare etiam alat quoſdam indoctos quos coadiutores nominat. 32.
De priuatis Ieſuitarum promotionib. 34.
De Scholis Societatis. 35.
Patres Societatis neminem Blanditijs ad ſuam Societatem pelliciunt. 41.
Qualis paupertas Ieſuitarum, & in quo conſiſtat. 45.
Refelluntur Calumniæ de ædificijs Ieſuitarum. 48.
De ornamentis templorum. 52.
De prouentibus Patrum Societatis. 53.
Calumnia in Sereniſſimam familiam Bauaricam, & in Aug[illegible]anam Rempub. conuellitur. 55.
Caſtitas Societ. IESV contra vaniſſimas criminationes defenditur, & prædicatur. 57. 61.
An & quomodo dicant Catholici, minus flagitium eſſe, ſi quis Sacerdos aut Religioſus, ſemel labatur impudicitia quàm ſi vxorem ducat. 63.
De virtute Obedientiæ in Soc. IESV, & quantum, ac quomodo eam obſeruent Patres. 74. & ſeq.
Atrociſſimæ quædam Criminationes Polycarpi redarguuntur. 81.
Quam omnia Ieſuitarum Conſilia dicta, factaq; ſint pacifica multis docetur. 87.
Quo animo Pontifices Summi in Germanos Proteſtantes ſint, aut fuerint. 92.
Calamitas Germaniæ poſt exortas Hæreſes. 97
Sententia Ieſuitarum & Catholicorum omnium de puniendis ac tolerandis Hæreticis. 99 101.
Quomodo Hæreſes ſine ſanguine, vel extirpari, vel certè labefactari poſſint. ibi.
Nuſquam Hæretici tantam libertatem

con-

concedunt Catholicis, quantam pluribus in locis Catholici Hæreticis. 103
De Autonomia ſeu libertate Religionis. 105
Prædicantes & Hæreticos cauſam fuiſſe omnium turbarum & bellorum. 106
Hæretici non quærunt pacem cum Catholicis, ſed illorũ bona, interitũ, &c. 109
Calumniæ grauiſsimæ in Auguſtam familiam Cæſaream; & Sereniſsimã ſtirpem Auſtriacam atq; Bauaricã, tum generatim, tum ſpeciatim. 111.
Calumniæ Polycarpi in Imperij Principes Eccleſiaſticos. 117.
Reſpublica Auguſtana, Familia Fuggerica, & Bauaria à criminationibus defenduntur. 118.
Quare nonnulli etiam Catholici Societati IESV obtrectent.] 122.
Quanta cura ſit defendenda omnibus Imperij Ordinibus Societatis IESV. 129
Produntur teſtes Innocentiæ Societatis IESV. 126.

D. Auguſtinus Epiſt. 137.

HAEretici non habendo quòd in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, nonniſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant, vt quia ipſam diuinæ Scripturæ veritatem, quà vbiq; diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt; homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, poſſunt, &c.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

Superiorum permiſſu.

A01 1469636

BIBLI
VIII
X